55450

JOSEPHI EYEREL

COMMENTARIA

IN

MAXIMILIANI STOLLII

APHORISMOS

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS.

Morbis quoque quasdam leges natura poſuit.
Plin. Hiſt. nat. L. VII.

TOMUS QUARTUS.

VINDOBONÆ,
APUD CHRISTIAN. FRIDERIC. WAPPLER.
1791.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LECTORI

Quartum nunc commentariorum volumen *Tibi* trado, aphoriſmorum nempe *Stollii* de febribus continuis remittentibus, febre ardente, febre putrida, atque intercurrentibus febribus, variolis, morbillis, ſcarlatina, explicationem. Non haberem, quod

præſarer, niſi auctoris de *febre putrida* aphoriſmi, meusque in hanc doctrinam commentariolus, pauca quædam præmonenda eſſe non tantum ſuaderent, ſed etiam expoſcerent. Erunt enim fortaſſe, qui de terrifico hoc morbo me nimis pauca, nimisque clementer locutum fuiſſe, imo fluctuantis animi hominem exiſtiment, quaſi de febre putrida febrim ſui generis conſtituente, adhuc dubitarem. Sed id haud mea culpa accidit. Multa enim, ſeu ſymptomata in febribus putridis obvia, ſeu ſanandi modum reſpicias, & in quibus deſcribendis auctores verboſius verſantur, *Stollius* ad ſymptomata febrilia, *debilitatem* ſcilicet, *malignitatem*, & *ſtatum nervoſum* traduxit, atque his etiam locis mihi explicanda ſumpſi. Quæ autem auctor de febre putrida docuit, haud meliori

me

me commentario inſtruere poſſe putabam, quam ſi ea adducerem, quæ ab *exercitatiſſimo* & *peritiſſimo Medico Cloſſet* in hanc rem dicta ſunt a). Deinde, ut verum fatear, etſi febris putridæ nomen nunc ubique increbreſcat, non tamen idcirco febrim putridam inter quotidianos fere morbos habendam eſſe crediderim, atque id Viri Illuſtr. *Baldingeri* auctoritate b) mu-

a) *Mohrenheims* w. Beyträge. B. 2. Cloſſet vom Faulfieber.

b) Veritatem putridi morbi agnoſco quidem, ſed, niſi omnia me fallunt, non adeo frequenter quidem occurrunt putridi morbi, ac vulgo quidem nonnulli putant, qui nimis liberaliter putredinis vocabulo utuntur, quod noſtro ævo certe ſimile fere conſtituit *aſylum ignorantiæ*, quam initio adhuc ſæculi hujus, malignitas ſcholæ medici haud incelebris, fuit

munitus, & mea etiam qualicunque obſervatione convictus, audacter aſſero. Multæ quondam optimi *Haenii* querelæ de malignitate, quam medici omni fere febri affricant: „monitos vellem omnes medicos, ait vir ille præclarus, quam perniciosa ſit certa quorundam methodus agendi, qua ſemper morbi malignitas, nunquam forſan adfutura, non dico præſagitur, ſed præſomniatur. Quis hujus porro effectus? ut detrahantur ægris antiphlogiſtica remedia, iisdemque aut inertia, aut noxia ſubſtituantur. Contigerit modo, ut artus ægris doleant, ut præ ſudore, aut acri-

fuit commune artis vocabulum, quo inſignire omnis generis morbos ſolemne erat, quos nunc certius a colluvie primarum viarum neglecta oriri, cognovimus. *Ill. Baldinger opuſc.*

acriore tranſpiratione cutis pruriat, ut etiam, quod turpius, pulicum ſtigmata alicubi viſantur, mox acida remedia detrahuntur, iisdemque ſufficiuntur aut Hoffmanniana mixtura, aliave terrea acidis ſaturata, aut etiam decoctum ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ &c. &c. c). " Neque tamen nunc de rebus noſtris melius agitur; & vereor, ne *Haenius*, ſi ſuperas ad auras evaderet, ex medicis olim malignis, medicos nunc putridiſſimos factos eſſe, acerbe doleret. *Verba* enim, non *methodum* mutavimus. Mox enim, ſi homo caput ſibi dolere dicat, ſi vertigo adſit, aut dedolatio, ſi pulſus obſcuritas non a virium infirmitate, ſed ab onere humorum oriatur, ad antiſepticum ad-

para-

c) *De Haen* Rat. med. P. III. p. 71.

paratum confugimus. Qua in re certe dolendum eſt, artem noſtram, humanarum artium humaniſſimam, medentium diſſidiis quotidie opprimi, atque ingeniorum ludibrio exponi; ut præſtet omnino generi humano medicina *nulla* uti, quam non *indicata*. Vale!

COM-

COMMENTARIORUM

IN

STOLLII

APHORISMOS

DE

COGNOSCENDIS ET CURANDIS FEBRIBUS

TOMUS QUARTUS.

FEBRES CONTINUÆ REMITTENTES.

„Febris continua remittens, propterea, quod ea ſæpe in intermittentem diſtinguitur, ſæpe item intermittens ipſa in continuam remittentem revertitur, utique medicorum multi, verſa tali larva falſi, ſibi perſuadebant; quaſi utrique harum eodem auxilio, cortice ſcilicet peruviano, ſimiliter obveniri deberet. Id in univerſum vanum eſt, neque niſi ab imperitis ita proponitur. Siquidem cum iſta febris ſæpe aliam, iterumque aliam cauſam agnoſcat, utique aliam, omninoque diverſam curationem ipſa requi-

rit" a). Grave hoc Clinici celeberrimi monitum eſt, quod noſtro ævo præcipue attentionem ſummam meretur, cum his febribus plurimi medici peruviano cortice indiscriminatim mederi ſoleant. Febrium autem harum curationem haud magis puto facilem poſſe reddi, atque expeditam, quam ſi remittentem febrem ex continua & intermittente febre compoſitam animo tibi effingas, & medendi rationes a diverſa ſociatæ utriusque febris indole petantur.

a) *Illuſtris Strackii* Obſervationes medicinales de diverſa febris continuæ remittentis cauſſa.

In qua re non diu anceps hærebit is medicus, cui & continuarum febrium cardinalium, atque intermittentium etiam natura probe perſpecta eſt. Nam & inflammatoria, & biliofa, & pituitoſa, & putrida febris intermittentibus jungitur, & ipſæ etiam intermittentes vario typo, varioque diſcrimine incedunt; unde ſolers conſideratio febris & continuæ, & junctæ intermittentis medicum optime dirigit.

Frequens præ ceteris eſt bilioſæ febris cum intermittente connubium; cujus rei exemplum *Sydenhamus*, atque *Strackius* propoſuere. Atque *Sydenhamus* talem remitten-

tentem deſcripſit a). „ Cum præmature menſe Julio, v. g. intermittentes autumnales ingrediuntur, atque increbreſcunt, non ſtatim genuinum typum induunt (quod intermittentibus vernis quidem ſolemne eſt), ſed continuas febres ita per omnia imitantur, ut, niſi caſtigatiſſime utrasque trutinaveris, ab invicem diſcriminari non poſſint; at retuſo paulisper conſtitutionis impetu, & frœnata vi jam in typum regularem migrant, atque exeunte autumno larva abjecta intermittentes ſe eſſe, quales ab initio reapſe fuerunt, palam fatentur, ſive quartanæ illæ fuerint, ſive tertianæ: quod ſi non diligenter advertimus, cum magno ægrorum noſtrorum malo medicantes hallucinabimur, dum hujusmodi febres, quæ ex intermittentium numero ſunt, pro continuis veris & genuinis habeantur. “

a) Sect. I.

„Id verum eſt, ait Illuſtris *Strackius*, atque unicuique practico medico, ſiquidem is cum laude in populoſa civitate inſenuit, ſatis notum, perſpectumque eſt. Percommune iſtud febrium genus anno 1749 in civitate Moguntina erat, multaque civium mil-

lia prehendit, nē circum in agris colonos numerem: acceſſiones potiſſimum tertianas ea habebat, nonnunquam quotidianas, quartanas nullas.

Talis febris, ut prehendit, terrere ægrum ſimul, & medicum fallere poteſt: attamen huic non plus periculi ineſt, quam quæ diſtinctos circuitus habet; dummodo morbi cauſa modusque quamprimum a medico dignoſcatur. Secus, vel ipſa cito jugulat ægrum, vel ſi inveteravit, lente extinquit eundem.

Et profecto ſatis non eſt, ſcire, quemadmodum *Sydenhamus* recte monuit, „quod præmature menſe Julio v. g. intermittentes autumnales ingrediantur, atque increbeſcant, neque ſtatim genuinum typum induant, ſed continuas febres ita per omnia imitentur, ut retuſo pauliſper conſtitutionis impetu, in typum regularem migrent, atque exeunte autumno, larva abjecta, intermittentes ſe eſſe, palam fateantur." Sed plurimum intereſt, noſſe, per quæ ſigna protinus cognoſci queat, & quo auxilio eidem occurri debeat.

Quare non alienum eſſe exiſtimo, ſi hic eas notas recitavero, per quas noſſe liceat, iſta febris, etſi ea continuæ larvam

in-

induerit, quod nihilominus ipſa intermittens ſit. Scilicet in qua notitia & curationis, & ſalutis cardo vertitur.

Itaque ſi talis continua febris cum magno frigore incipiat, & impoſterum modo in calore aliquantum remittat, modo iterum intendatur; ſi citius, & in primis morbi diebus multus ſudor ſine cauſa manifeſta & absque profectu erumpat; ſi idem ſudor, qualis is inter febrem intermittentem eſſe conſueſcit, acidi odoris ſit; ſi vultus magis, quam per continentem febrem flavus ſit; ſi amarum os, & dentes glutine tecti, & ſordidæ fauces ſint; ſi autumno poſt fervidam æſtatis tempeſtatem febris prehendat: ſi intra eandem tempeſtatem multi alii homines febre intermittente exquiſita laborent; magis item, ſi febris tertio quoque die intendatur; maxime vero, ſi poſt exacerbationes urina turbida eveniat, & ſedimentum lateri trito ſimile præcipitet, ſcire licet, febris, etſi ea in colore continuet, quod nihilominus intermittens ſit.

Has inter febres princeps tertiana eſt bilis culpa, quam fervida menſe Auguſto tempeſtas vitiaverat. Subflavi & quaſi levi aurigine tincti, ita affecti ſunt, os amarum habent, vomere deſiderant, carnes atque

ova nauſeant, ſæpe bilem ſupra, ſæpe infra excutiunt; perinde ac multi alii homines ob tertianam exquiſitam conſueſcunt. Verumque eſt, quod veteres olim medici dixere, a vitiata bile tertianam eſſe.

Ubi cognita per iſta ſigna morbi indoles eſt; debet protinus, etiam quocunque diei tempore remiſſionis intervallum patebit, medicamentum vomitorium offerri, quod poſſit turgentem materiam, vitiatam nempe bilem, excutere. Poſt talem vacuationem tempora remiſſionum liberiora fiunt, & febris ipſa in certos circuitus diſtinguitur. Quodſi cum his vel juvenilis ætas ſit, & corpus ſanguine abundet, vel non ſatis firmum pectus ſit, debet ſanguis in febrium intentione ante mitti, deindeque in remiſſione vomitorium dari. Neque magna corporis infirmitas, neque frequens animi deliquium ideo terrere quemquam debet. Hic enim vomitorium medicamentum cauſæ portionem demendo amiſſas corporis vires reſtituit. In his autem iterum cautione opus eſt: lene enim vomitorium ſufficit ad bilem, quæ exuperat, expellendam; propterea, quod ipſa per ſe prona in exitum eſt; deindeque aqua tepida ſuperbibenda, quæ facile vomitum efficiat. Fortius pharmacum nocet,

cet, quoniam id nimium concutere poteſt, ſicque ægrorum vires convellere.

Quodſi vero medicamentum vomitorium offerendi neglecta opportuna iſta occaſio fuerit, morbus vix remiſſionem oſtendet, ſed in calore continuabit. Intra iſtum calorem ſæpe bilis infra ſecedit per liberale alvi profluvium, quod interea ægrorum vires vehementer conterit. Attamen & nunc quoque vomitorio medicamento locus ſupereſt, quod poteſt bilem, quæ reſtat, ſupra ejicere, ſicque alvum claudere.

Et ita quidem alvus ſive naturæ beneficio, ſive artis auxilio purgatur; febrisque in certas acceſſiones diſtinguitur, ſimul & ipſa opportuna curationi fit. Nihilominus & nunc quoque cortex peruvianus, ut cætera quæcunque alia medicamenta febrifuga, nec quicquam proficit; ſed debet febris ipſa, etſi ea ſic in diſtinctas acceſſiones explicata nunc ſit, nihilominus impoſterum, ut cæteræ quæque exquiſitæ intermittentes, ante per ſui foci coctionem apta reddi, quæ poſſit curationem a cortice peruviano recipere: ſecus ipſa obnoxia recidivis eſt." a)

a) L. c. p. 15.

Ex his utique patet, quæ febribus continuis remittentibus medicina ſit facienda. Continuæ febris omnium primo ratio eſt habenda; ea enim celerius, & majori cum periculo ſolet decurrere. Si enim e. g. febris inflammatoria cum intermittente connubium ineat, methodus antiphlogiſtica, venæ ſectio etiam indicatur, quibus labes phlogiſtica tandem omnis deletur, ſola intermittente febre ſuperſtite. Idem verum eſt, ſi pars quædam corporis inflammatione corripitur; ſit enim homo pleuriticus, isque tertiana febre ſimul teneatur, abſonum certe eſt, intermittentem cortice opprimere, anteqnam inflammatorius ſtimulus, unde febris continua fuit excitata, ſublatus ſit. Tunc ſolummodo intermittens febris primam medentis attentionem exigit, ſi funeſtum ſymptoma quoddam, v. g. ſyncope, lethargus, aliave urgens affectio tali febri jungatur Id etiam perſpectum habemus, cum diverſa ſit febrium continuarum natura, non eandem ubique in curandis febribus remittentibus methodum poſſe adhiberi; ſed varia, prout continua, aut inflammatoria, aut bilioſa, aut pituitoſa febris ſibi expetit, medicamenta offerenda eſſe, atque devicto continuarum febrium irritamento, corticem

de-

demum recte adhiberi. Qui aliter, quam juxta has leges, medentur, in eam utique cenſuram incurrunt, qua *Freindius* quondam ſui ævi medicos excepit: „ Hanc medendi inſtitutionem, ut nimirum in calidioribus remediis poſitam, jure repudiavit *Sydenhamus*: quæ tamen ex hodierna medicina non videtur penitus, uti debuit, exulaſſe. Quid enim hac curandi ratione aſſequuntur medici, niſi ut calidiſſima quæque exhibendo, ſudoresque affatim provocando, rapidior fiat ſanguinis circuitus, quod & fatentur ipſi: unde febre paulatim invaleſcente, & cerebrum tandem occupante, deliria nervorumque diſtenſiones, ſi non accerſi, ſaltem haud arceri videmus. Itaque conſtanter experiuntur ii, qui in febribus acutis nihil, niſi ſerpentariæ radicem, ſalemque de cornu cervi expreſſum, & ſimilia amant ingerere. Idem accidere ſolet, ubi in *febribus remittentibus* corticem peruvianum importunius adhiberi contigerit: cujus hunc fere exitum percipiunt medentes, ut quæ antea paululum ſubſederat febris, jam, nulla interpoſita mora, vehementius exardeſcat. Sed in hoc rerum ſtatu quid demum conſilii capiunt? ſcilicet metu exterriti, inque maxima inconſtantia verſati, ultro citroque

ſe

ſe agere neceſſe habent: & continuo aut ad vomitoria, aut ad ſanguinis miſſionem, aut ad veſicantia, tanquam ad extrema confugiunt. Hunc adeo fructum habet præpoſtera hæc medendi ratio, ut, unde incipere debuerint, ibi morbo jam conſiſtente deſinant; & ea ſalutis præſidia alieno tempore fruſtra ſæpius tentent, quæ artis periti inter initia valetudinis magno cubantium commodo præcipiunt."

a) *Freind* de febribus comment. III.

FEBRIS ARDENS.

Febris *ardens* ſpecies eſt febris continuæ remittentis, eæque vehementioris, a gravioribus cauſſis excitantibus productæ. Atque ideo potiſſimum hanc febrem ex *Boerhaaviano* opere retinuit *Stollius*, ut exemplar compoſitæ cujusdam febris haberetur.

Febris hujus indolem ex inflammatoria, & bilioſa ſimul febre eſſe conflatam, ex attenta ſymptomatum conſideratione facile utique patet.

Ad continuarum remittentium ſpeciem autem, ait *Swietenius* a), reducitur febris ardens proprie vocanda, quia manifeſtas exacerbationes habet, neque continuo tramite abſque mutatione ad criſin usque decur-

currit, uti in ſynochis febribus obſervatur. Illud enim omnes, qui de ardente febre ſcripſerunt, auctores agnoſcunt. Sic *Celſus* b) de curatione febris ardentis agens monet, in ipſis acceſſionibus oleo & aqua ægrum refrigerandum eſſe; & *Galenus* dixit, quod exquiſita febris ardens, quum omnia alia ſervet accurate tertianæ indicia, eo ſolo differt, quod neque cum rigore invadat, neque ad integritatem deveniat. Pariter & *Hippocrates* pluribus in locis de febre ardente agens, meminit exacerbationes, quæ diebus paribus vel imparibus fiunt. Quamvis ob caloris intenſitatem & aliæ febres ardentes dici poſſint, & quandoque revere ab auctoribus, recentioribus imprimis, ſic vocentur febres continentes, cum in illis calor digitum tangentem quaſi pungens ſæpe percipiatur, imo & *Hippocrates* febrem, ubi vehementiſſima eſt, πυρ, id eſt ignem, vocare conſueverit: obtinuit tamen hodie uſus febris ardentis nomen dare febri continuæ remittenti, quam urens fere calor, & reliqua ſymptomata a *Böerhaavio* enumerata, comitantur.

a) Van *Swieten* comment ad §. 738.
b) L. III. C. VII.
c) De Criſibus L. III. C. VI.

Ubi

Ubi ergo febres intermittentes, quotidiana & tertiana imprimis, prolongatis, vel & duplicatis paroxysmis, nullum tempus a febre liberum relinquunt, poſſunt in febrem ardentem, & periculoſiſſimam mutari. Unde dixit *Hippocrates* a): „quæ febres non intermittentes tertio quoque die vehementiores fiunt, periculoſiores; quocunque autem modo intermiſerint, citra periculum eſſe ſignificat." Tale videtur fuiſſe illud genus febrium, quod ἡμιτριταῖον a plerisque medicis appellari dixit *Celſus* b), nempe alterum illud tertianæ genus, longe pernicioſius, quod tertio quidem die revertitur, ex octo autem & quadraginta horis, ſive ſex & triginta per acceſſionem occupat, interdum etiam vel minus, vel plus, nec ex toto in remiſſione deſiſtit, ſed tantum levius eſt. Patet autem illam hemitritæam *Celſi* eſſe tantum tertianam protractam adeo, ut vel nulla, vel exigua admodum, intermiſſio; vero hemitritæa *Galeni* a tali febre diſtinguitur. Si jam tertiana duplicata fuerit, ſic ut ſecundo die novus paroxysmus accedat, reſpondens illi, qui quarto die ſequetur, talibus paroxysmis protractis duplex tertiana in continuam remittentem facile vertetur; videturque *Celſus* tertianam

du-

duplicatam ſub quotidianæ nomine deſcripſiſſe: ſic enim habet: „Quotidianæ vero variæ ſunt &c. Rurſus aliæ ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas: aliæ ſic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quædam reliquiæ maneant, donec altera acceſſio accedat: ac ſæpe aliæ vix quidquam aut nihil remittunt, ſed ita, ut cœpere, continuant. Deinde aliæ fervorem ingentem habent, aliæ tolerabilem: aliæ quotidie pares ſunt, aliæ impares; atque invicem altero die leniores, altero vehementiores c).

a) Aph. 53. Sect. 4.

b) L. III. C. 3.

c) Ibidem.

Illas autem febres continuas remittentes, ex tertianarum paroxysmis productis & duplicatis natas, quæ tertio quoque die exacerbantur, maluit *Galenus* vocare tertianas, quam hæmitritæas, quia ad tertianæ naturam accedebant, & fere ad intermiſſionem perveniebant a). Hemitritæam autem febrem dixit illam, quæ ex quotidiana febre continua, id eſt, remittente quidem, ſed non penitus intermittente fit b); illamque febris ſpeciem ſic vocandam voluit,

quia

quia pro altera ſui medietate tantum tertiana eſt, cum febres continuæ remittentes, ex tertianæ paroxyſmis duplicatis & productis natæ, totam tertianæ naturam habeant. Videtur imprimis ideo hæc adeo ſollicite diſtinxiſſe, quia quotidianarum febrium ortum ex pituita putri, tertianarum vero ex bile flava deducebat c), ideoque in curatione ad diſtinctas harum febrium cauſſas attendendum volebat, licet ex binis his miſtis unus exſurgeret morbus, hemitritæa nempe febris. Imo non improbabile videtur, quandoque & acutam continuam cum tertiana vel quotidiana intermittente miſceri poſſe, ſicque alia febris hemitritææ ſpecies eſſet, & quidem peſſima, dum continua febris uno tramite pergeret, alternis interim diebus, vel ſingulis novus paroxyſmus febris intermittentis accedens omnia mala augeret. Videtur & talem continuæ febris cum intermittente complicationem notaſſe *Galenus* d), ubi de febribus compoſitis, & inter ſe mixtis agit, ſic enim habet: „Febres quidem complicantur maxime cum aliis ejusdem generis, vel unius ſpeciei cum aliis ejusdem ſpeciei; eſt vero, quod & differentes complicentur. Nam quotidianæ tertianis, & his quartanis, & ejusdem ſpeciei

in-

inter ſe plerumque complicantur. Sic, ut quandoque tres quartanæ periodos (id eſt quartanam triplicatam) idem homo habeat. Sed hos quidem cognoſcere, non eſt omnino difficile. Quandoque vero aliqua ex intermittentium genere cum continua complicatur, difficillimam, & vix explorabilem faciens mixtionem.“ Credo autem me aliquando, quamvis rarius tamen, talem febrem ardentem obſervaſſe, in qua tertia quaque die exacerbatio manifeſta erat, dum interim continua febris intermedio die pergeret, & augeretur continuo. Mira forte videbitur multis, & vix credibilis talis complicatio, qua diſtinctæ adeo febrium ſpecies ſimul unitæ decurrerent, neque ſe mutuo turbarent: ſed vidi hominem quartana laborantem pleuritide valida correptum fuiſſe, quam febris acuta inflammatoria comitabatur; interim tamen toto hujus pleuritidis decurſu quartana febris typum ſuum ſervans ſtato tempore adoriebatur, nec novo morbo hoc adveniente, nec venæ ſectionibus aliisve remediis, ad pleuritidem ſanandam adhibitis, turbata.

Triplex ergo videtur fuiſſe febris ſpecies, cui hemitritææ nomen datum fuit. Tertiana nempe, quæ paroxyſmos adeo

protractos habebat, ita ut vel nulla, vel parva admodum intermiſſio obſervaretur; hæc erat hemitritæa *Celſi*, quo & referri poterit illa, quæ ex tertianæ duplicatæ paroxysmis productis fiebat continua remittens febris. Hemitritæa *Galeni*, quæ ex complicatione quotidianæ continuæ, & tertianæ naſcitur. Denique illa hemitritæa, quæ ex unione febris *acutæ continuæ*, & *tertianæ* naſcitur. Quamvis autem tres illæ hemitritææ omnes periculoſæ ſint, prior tamen mala, pejor ſecunda, peſſima tertia ſpecies haberi poterit.

a) Comment. 2. in L. VI. Epidem.
b) De febr. Libr. II. C. 7.
c) Ibid. C. 3.
d) De criſibus Libr. II.

Animadverſiones nunc *Swietenii* in ſymptomata quædam eminentiora febrium ardentium recenſebimus. Atque primo *calor* ad attactum fere urens &c. notatur. Ab inſigni ardore febris hæc nomen habet; mordax nempe & moleſtus una cum ſiccitate, non vero humidus & vaporoſus, qualis in vigore febrium intermittentium, aliisque febribus mitioris indolis apparet. Unde dixit *Aretæus* a), in febre ardenti eſſe ignem aridiſſi-

diſſimum & acerrimum, atque ægros omnia frigida attrectare, parietem, veſtem, pavimentum &c., ut moleſtiſſimum calorem leniant. Raro autem æquabiliter tantus calor per totum corpus diffunditur, & non niſi in talium febrium initio; bonum enim ſignum eſt in morbis, corpus æquabiliter calidum & molle eſſe: in febre autem ardente omnia fere peſſima ſigna apparere ſolent, unde circa vitalia viſcera ſummus æſtus, & circa externa corporis calor remiſſior, vel & aliquando frigus percipitur.

a) De cauſis & ſignis morborum acut. Lib. II. C. 4.

Siccitas in cute tota. Cum ſummus in febre ardente æſtus ſit, patet, & partes corporis, quæ naturaliter humidæ ſunt, exſiccari debere. Fit autem hæc ſiccitas partim ob difflatam ſanguinis partem tenuiſſimam, & aquoſam per calorem febrilem, partim etiam, quia reliquus ſanguis immeabilis dum hæret in vaſis majoribus, illa diſtenduntur, & vicina minora comprimunt: unde in talibus ægris cutis ſicca & aſpera apparet, quia vaſa ſanguinea, ſubcutanea immeabili ſanguine repleta comprimunt tenerrima exhalantia, ſimulque deficit tenuis in ſanguine latex. Idem jam in oculis, naribus, ore,

lingua verum eſt. Hinc dixit *Hippocrates* ſiccitate perire illos, qui ex febre ardente intereunt.

Reſpiratio denſà, anheloſa, cita. Tria in reſpiratione conſiderantur, inſpiratio, exſpiratio, & tempus medium inter inſpirationem & exſpirationem, quod tempus quietem vocavit *Galenus*, dum explicaret, quænam proprie diceretur *denſa* reſpiratio. Uti enim denſas oleas, aut vites plantari dicitur, quum minimum a ſe mutuo diſtant; & contra raras vocemus, ſi magnum inter illas ſpatium relictum ſit, ſic etiam tali ſenſu denſam reſpirationem intelligendam eſſe voluit. Quum enim ipſa reſpiratio ex contrariis motibus per quietes diſtinctis compoſita ſit, denſam iſtam reddet brevitas quietum, raram vero longitudo. Magna autem & parva reſpiratio variam dilatationem ſpirabilium organorum demonſtrat. Reſpiratio ergo, quæ denſa & cita eſt, celeritatem inſpirationis & exſpirationis, & exiguum ſimul inter binos hos contrarios motus intervallum denotat. Anheloſa vero difficultatem & moleſtiam, qua hi motus peraguntur, ſignificat. Cum autem tantus circa vitalia ardor ſit, & ſanguis rapidiſſime per pulmonem moveatur, ſimulque ſummo æſtu exaſ-

ſatus

ſatus difficulter per pulmonaris arteriæ anguſtias transeat, patet ratio, quare miſeri hi ægri tam cito, & tanto cum molimine reſpirent, ut nempe gratum refrigerium attracti aëris percipiant, & ſanguini per pulmonem viam expediant.

Lingua ſicca, flava &c. In homine ſano lingua, & omnes oris internæ partes perpetuo madent; ubi autem febris ardentis immani æſtu torretur corpus, omnia hæc loca ſiccari incipiunt, unde *Hippocrates* illa phœnomena, quæ in febre ardenti obſervantur, etiam linguæ ſiccitatem & aſperitatem numeravit pluribus in locis; minimorum enim vaſculorum exhalantium extrema, in ſuperficie linguæ poſita, exſucca jam & arida emoriuntur, vel & immeabilibus liquidis infarcta, & impetu vitalis liquidi a tergo urgentis protruſa, extra linguæ ſuperficiem eminent, & ſordes illas dictas in lingua conſtituunt, quæ flaveſcunt, dein fuſcæ fiunt, imo & nigreſcunt ſæpe penitus, exſuccis & gangrænoſis redditis horum vaſculorum extremitatibus. Ubi jam ſimul ingens ſiccitas adeſt, aſpera & ſcabra lingua redditur, peſſimo ſemper omine, quia inde novimus, œſophagi, ventriculi, & inteſtinorum ſuperficiem ſimiliter ſe habere; adeoque difficilli-

mum ingreſſum fore liquidis aſſumptis, cum & abſorbentium venularum oſcula exſiccata, & corrugata aditum denegent, dum interim ſummus æſtus, & ſanguinis exaſſatio liquidi diluentis magnam copiam requirant. Primam autem ſanationis ſpem in peſſimis illis morbis inde colligimus, ſi incipiat aliquid humidi in lingua apparere, tunc enim cruſtæ illæ, ex emortuis vaſorum extremis natæ, incipiunt humeſcere. tumere, elevari, & vi vitalium humorum oppulſorum ſeparari a partibus vivis, & ſecedere perfecte, ut in gangrænæ ſeparatione fit. Accidit tunc ſæpe, ut lingua prius ſicca & aſpera quidem, neque tamen nigreſcens, cruſtam elevet, quæ incipiens ſeparari a ſuppoſitis linguæ partibus atrum colorem induit: ſed ſub hac cruſta, & inter fiſſuras hinc inde apparentes, manifeſta tunc apparet humiditas læto omine: tuncque talis linguæ ægritudo, quæ ſimul humida eſt, minime mala eſt, ſed optimam ſpem facit eodem modo, ac gangræna corruptæ partes maxime nigreſcunt, dum a vivis partibus incipiunt ſeparari.

Sitis inexplebilis. Raro invenitur febris ardens, quin ſimul intenſa adſit ſitis: niſi ſimul cerebri adfecti ſigna adfuerint. Unde

Unde dum *Hippocrates* in febribus ardentibus, quas deſcribit, dixit, non adfuiſſe vehementem ſitim, ſimul addit, ægros ab initio comatoſos fuiſſe, & in exacerbationibus, oblivionem, exſolutionem, & vocis defectum adfuiſſe; quæ omnia docent, cerebri actiones turbatas, ac oppreſſas fuiſſe adeo, ut, licet ſitis cauſæ adeſſent, mens tamen ſitim non perciperet.

Faſtidia cibi &c. Peſſimarum febrium, inter quas ardens febris primum locum occupat, commune attributum eſt, ſimul & ſemel omnes fere corporis functiones lædere; non mirum ergo, ſi & depraventur illæ, quæ cibis recipiendis, retinendis, & digerendis inſerviunt. Imprimis autem hæc ſymptomata febri ardenti junguntur, quia per calorem auctum adeo omnia in putredinem tendunt; & omnium maxime bilis, uti docent in his morbis halitus oris fœtidus, ſapor faſtidioſus, ſitis inexplebilis, linguæ ſordes, alvi fluxus olidiſſimus &c. Accedit, quod cum tantus ardor in hoc morbo circa præcordia ſæpe deprehendatur, hepar, ventriculus, & alia vicina viſcera inflammata ſæpe ſint, unde iterum multa alia mala oriuntur. Præ reliquis autem faſtidiunt tales ægri carnes, ova, piſces, & ſimilia, quæ

ſponte ſua in putredinem vergunt, & ſolam fere aquam, & acida, vel aceſcentia, expetunt. Aliquando tamen & accidit, quod quævis oblata reſpuant, peſſimo omine, uti *Hippocrates* a) monuit, accidiſſe in febribus illis continuis, quas nunquam intermittere dixit, ſed tertianæ typum referre exacerbationibus alterno die accidentibus: quæ ergo ardentes merito vocari poterunt, cum easdem violentiſſimas, & maximis comitatas laboribus dixerit: notat autem, quod has febres maximum & perpetuum ſignum comitabatur, quod cibos omnes plerique auerſarentur, iique maxime, quibus cætera quoque pernicioſa exiſterent.

a) Epidem. I.

Anxietas. Reſpiratio denſa, cita, & anheloſa, quam in febre ardente obſervari modo dictum fuit, notat difficilem tranſitum ſanguinis per arteriæ pulmonalis fines, adeoque & una aderit anxietas. Verum & ſimile malum circa hepar ſæpe in febre ardente naſcitur, dum ſanguis ſummo illo calore exaſſatus per venæ portarum anguſtias tranſire nequit, adeoque altera anxietatis cauſſa habetur. Præterea ſcimus, bilem corruptam circa præcordia collectam, peſſimam

quan-

quandoque anxietatem producere poſſe: quod cum pariter in febre ardente obtineat, patet, quare anxietas, & irrequieta illa corporis anxietas in hoc morbo fere ſemper adſint; uti *Hippocrates* in Epidemicorum libris notavit pluribus in locis. Malum autem ſignum in his morbis eſſe docuit, dicens: „Tertianariæ febres cum anxietate malignæ" a).

a) Coac. Prænot.

Laſſitudo ſumma. Hippocrates a) ſummam laſſitudinem inter febris ardentis ſymptomata numeravit, quam οςτεοκηοπον vocavit, quando ad oſſa usque corpus quaſi conquaſſatum dolet. Ubi ergo talis moleſtæ laſſitudinis ſenſus in febre ardente eſt jam ab initio, & diu perſtat, novimus, inflammatoriam ſanguinis ſpiſſitudinem adeſſe, quæ diu perſeverans, & per morbum aucta quotidie, poſtea difficillime reſolvi poterit; ſed ſi ægri ab his morbis evaſerint, mutatio illius ſpiſſi in pus, ejusdemque metaſtaſis ad varia corporis loca exſpectanda ſunt. Ob hanc cauſam forte dixit *Hippocrates* b): Laſſitudine per febres laborantibus, ad aricu-

ticulos, ac maxime circa maxillas, abſceſſus oriuntur.

a) De victu in morbis acutis.
b) Aph. 33. Sect. 4.

Tuſſicula. Poteſt fieri talis tuſſicula, dum vaſa ſanguinea pulmonis immeabili ſanguine nimis diſtenta turgent, & veſiculas aëreas pulmonis ſic comprimunt, ut illarum ſuperficies ad ſe mutuo atterantur, tunc enim irritans, & ſicca talis tuſſicula aderit, qualis in peripneumonia obſervatur. Notavit autem *Hippocrates* a), quod febris ardens in peripneumoniam tranſire amet, & quod tunc pauci effugiant; adeoque tuſſicula ab hac cauſſa orta peſſimum ſignum daret. Sola major ſiccitas pulmonum in parte aërea tali tuſſiculæ cauſſam dare poſſet. Præterea obſervavit *Sydenhamus* b) in febribus continuis quandoque ægros per totum morbi decurſum moleſta tuſſi vexari; credit itque illam fieri, dum, tumultuante in febribus ſanguinis motu, per vaſa exhalantia in aërem cavum pulmonis, vel etiam per diapedeſin, humores quidem tenues, & defluentes exprimerentur, quæ exquiſito ſenſu præditam tracheæ membranam irritarent continuo: fatetur interim, quod non timuerit

rit multum hoc ſymptoma. Tales videntur fuiſſe illæ tuſſes, quas *Hippocrates* c) in febribus ardentibus ſe obſervaſſe teſtatur dicens: „Tuſſes quidem febrium erant comites, ſcribere autem non poſſum læſionem, vel utilitatem, quæ a tuſſe fiebat.“

a) De affectionibus. Cap. 3.
b) Sect. I. Cap. 4.
c) Epidemic. I.

Vox clangoſa. Hæc eſt illa ὀξοφονοη κλαγγωδες, quam *Hippocrotes* a) damnavit: atque adeo lethale hoc ſignum habuit *Hallerus*, ut neminem ſervatum ſe vidiſſe teſtetur, qui talem vocem edebat. Fit autem, dum præ ſumma ſiccitate arefactis faucibus vox non tranſit per mollia & humida loca, ut in ſanis fit; ſed reſonat, ac ſi per tubam metallicam ſiccam, & glabram expelleretur. Verbis non adeo bene deſcribi poteſt, qualis illa vox ſit, ſed qui ſemel illam in ægris audiverit, poſtea facillime diſtinguet.

a) In Porrheticis Libr. I.

Delirium, phrenitis. Omnia enim hæc cerebri affecti ſigna ſunt.

Die-

Diebus imparibus exacerbationes. Exquiſitam febrim ardentem omnia ſervare indicia exquiſitæ tertianæ ex *Galeno* conſtat; & tantum differre, quod nec cum rigore invadat, neque ad intermiſſionem perfectam deveniat; atque hæc fuit ratio, quare febris ardens non inter ſynochos, ſive continentes febres, verum inter continuas remittentes, numeraretur. Febres etiam tertianariæ dictæ, & hemitritææ, quæ pariter ad ardentem febrem referuntur, ſi malis illis ſymptomatibus, modo enumeratis ſtipentur, omnes diebus imparibus exacerbationes habent. Unde videtur ſemper aliquid de genio intermittentium febrium adeſſe in febre ardenti, atque ideo ſæpe, dum diutius protrahuntur tales febres, poſtea in intermittentes mutantur; imo febres intermittentes, epidemice graſſaturæ, dum æſtivis menſibus prodeunt, ſæpe ſub hac ſpecie decurrunt. Patebit autem quandoque & in febre ardente paribus diebus exacerbationes contingere, & quidem peſſimo ſigno; cum repetitis frequentius novis acceſſionibus magis debilitentur ægrorum vires; verum & tunc tamen plerumque imparibus diebus adſunt exacerbationes, uti v. g. dum quotidiana intermittens, vel tertiana duplicata continuæ fe-

bri

bri junguntur, vel tales febres productis paroxyſmis nunquam ad integram remiſſionem perveniunt.

Quum febris ardens pro cauſa proxima agnoſcat cruorem orbatum parte blandiore & liquidiore, hinc inflammationem per univerſum corpus, & vires validiores, patet, inter cauſas ejus numerari poſſe omnia, quæ difflata tenuiſſima parte ſanguinem inſpiſſant, humoribus majorem acrimoniam conciliant, & ſtimulo ſuo motum augent. A talibus enim ardens febris in ſaniſſimo corpore excitari poterit; omnium maxime, ſi epidemica conſtitutio his febribus producendis faveat. Patet hinc, quare labor nimius, & imprimis in non conſuetis, & longum iter confectum, ardentem febrim faciant, & imprimis valido ſub ſolis æſtu; uti etiam diu tolerata ſitis; unde etiam febrem ardentem æſtivo tempore plerumque ex longo itinere, & diuturna ſiti fieri, dixit *Hippocrates* a), & inter morbos æſtivos febres ardentes recenſuit. Similes etiam cauſas febris ardentis *Galenus* b) poſuit. Dum æſtivis ſub caloribus caſtra movere ſæpe coguntur belli duces, & imprimis ſi ſimul adſit aquæ penuria, integri quandoque exercitus his febribus affliguntur; unde inter caſtrenſes morbos febris

ardens

ardens merito numeratur. Inter humores autem corporis inquilinos præ reliquis bilem, tanquam febrium ardentium cauſam, incuſaverunt medici, & bile commota febrem ardentem excitari, dixit *Hippocrates* c), & bilioſos promptius hunc morbum prehendere, monuit alibi d). Lotium quam bilioſiſſimum eſſe in febre ardente dixit *Aretæus* e). Bilem autem non acervatam in quibusvis corporis partibus, ſed circa ventriculum, & imprimis ejus orificium, vicinasque jecoris partes (ubi nempe ductus biliarii, pylarus, duodenum inteſtinum &c. ponuntur) collectam ardentem febrem incendere, teſtatur *Galenus* f). Verum per labores nimios, calores æſtivos, bilem acriorem fieri novimus; adeoque patet ratio, quare febris ardens ab his cauſſis naſcatur. Sic obſervatur, poſt fervidiſſimas æſtates prægreſſas autumnum hemitritæarum febrium feraciſſimum eſſe, omnibusque talibus ægris bilem corruptam ingenti copia ſurſum vel deorſum prodire, ſive ſponte, ſive per artem hoc factum fuerit.

a) De victu in morbis acutis.
b) Comment. II. in L. I. Epidem.
c) De affectionibus.
d) De morbis L. I.
e) De cauſis & ſignis acutorum morbor. L. II. C. 4.
f) Comment. I. in Libr. I. Epidem.

Cum

Cum omnis febris deſinat in mortem, ſanitatem, vel alium morbum, operæ pretium erit videre, quid de vario exitu periculoſiſſimæ hujus febris obſervata medica docuerint, & quænam mutationes contigerint, dum in bonum vel malum exitum tenderet. inde enim optima prognoſis haberi poterit, & ſimul hauriri indicatio curatoria, quæ indicat, qua methodo, & quibus remediis funeſtus exitus hujus morbi caveri poſſit, & contra promoveri illa naturæ conamina, quæ in ſanitatem tendunt.

Cum tot, & tam maligna ſymptomata febrem ardentem comitentur, nemini mirum videbitur, ſi brevi tempore victa natura ſuccumbat, & moriatur æger. Malignæ enim febres, & quæ cum graviſſimis fiunt ſignis, quarto die vel prius interficiunt a). Primum autem graviſſimorum morborum inſultum hoc termino limitavit *Hippocrates*, ſecundum vero ad ſeptimum usque diem produci monuit, atque intra hoc ſpatium exquiſitam febrim ardentem limitavit *Galenus.* Uti enim exquiſitæ tertianæ comparavit febrim ardentem, atque hoc ſolo differre dixit, quod nec cum vigore invadat, neque ad integram remiſſionem perveniat. Unde, uti tertiana exquiſita ſeptem periodis

dis finitur, ita equiſitam febrim ardentem intra primam ſeptimanam neceſſario judicari dixit b). Velocem autem acutiſſimi morbi decurſum, & funeſtum exitum, ex ſymptomatum numero & vehementia colligimus. Quum enim morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores c); atque inde morbos, qui celeriter in ſalutem vel interitum tendunt, diſtinxit *Hippocrates* d) dicens: *Qui vero breviſſimo tempore iudicabuntur, facilius prænoſcuntur, maxime namque ab initio inter ſe diſſident. Qui enim ſuperfuturi ſunt, facile ſpirant, dolore vacant, noctu dormiunt, & alia ſecuriſſima habent ſigna. Qui vero pereunt, difficile ſpirant, delirant, vigilant, ceteraque habent ſigna peſſima.* Ubi ergo ab initio febris ardentis omnia ſymptomata vehementia admodum ſunt, & continuo augentur, mortem brevi futuram prævidemus. Verum, cum exquiſita febris ardens una cum continua febre, vel quotidiana continua remittente, junctam habeat tertianam, quæ tertio quoque die exacerbationem novam excitat, & quidem in initio talis morbi ſemper præcedente vehementiorem, patet, tertia die, fractis jam morbi velocitate, & ſymptomatum numero & vehementia viribus, metum eſſe, ne no-

vo

vo ingruente paroxysmo exſtinguatur æger. Imo *Galenus* e) notat, ſæpe & ipſam mortis horam a medico prædici poſſe, ſi ſedulo attenderit ad exacerbationum tempus in his morbis, ſimulque diſtinxerit, an in talium exacerbationum initio, vigore, vel & decremento ſe pejus habuerit æger. Quandoque enim in peſſimis his morbis, uti optime monet, in exacerbationum initiis extrema ſic frigeſcunt, ut vix ad calorem reduci poſſint; pulſus exiguus eſt, aut & nullus fere &c. Aliis in vigore delirium, coma, anxietas ſumma, æſtus intolerabilis &c. Quibusdam vero in declinatione animi deliquia, ſudores frigidi inæquales, pulſus obſcuri, exigui &c. adſunt. Prout jam maxime maligna ſymptomata in hoc illove exacerbationis ſtadio obſervantur, ita probabile eſt, ægrum ſequenti exacerbatione moriturum eſſe eodem tempore.

a) In Prognoſticis.
b) *Galenus* de criſibus. L. II. C. 6.
c) Aph. VII. Sect. I.
d) In Prognoſticis.
e) De diebus decretoriis. L. I.

Verum & quarta dies ſæpe lethalis eſt, imprimis ſi in vehementiſſima febre ardente

exacerbationes diebus paribus factæ fuerint, tunc enim talis exacerbatio non in diem tertium, ſed in quartum incidit. „Quæ diebus paribus exacerbantur, ea paribus iudicantur: quorum vero acceſſiones diebus imparibus fiunt, diebus imparibus iudicantur. Circuituum autem diebus paribus iudicantium, primus eſt decretorius quartus, ſextus, octavus &c.; circuituum autem imparibus diebus iudicantium primus eſt tertius, quintus, ſeptimus" a). Unde & notavit b), in peſſima febrium ardentium ſpecie, quarto die labores maximos fuiſſe, ſudores ſubfrigidos, extrema non recaluiſſe, ſed livida & ſubfrigida manſiſſe, ſitimque deletam fuiſſe: patet ergo, in ipſo jam mortis quaſi agone hæſiſſe miſeros, & ſi hunc paroxysmum adhuc ſuperarent, ſequenti periiſſe monet, nempe ſexto die. Alterum diſcrimen quartæ diei inde patet, quod ſæpe exacerbationes, quæ imparibus diebus fiunt, anticipent ſolitum tempus; hinc dum prima die cum exacerbatione morbus incipit, ſecunda die parum levari videtur æger, ſed ipſo initio diei tertiæ, vel & in fine ſecundæ diei, nova exacerbatio ſequitur, atque tunc tertia exacerbatio citius ingruens in diem quartum incidit, & ſæpe ægri in initio talis exacer-

acerbationis pereunt. Unde alibi *Hippocrates* c) dixit de febribus continuis tertio die exacerbatis: „Si quartus dies tertio quidquam in his ipſis ſimile habuerit, in periculo verſatur æger.

a) De diebus decret. L. I.
b) *Hippocrat.* Epidem. I.
c) De victu morborum acutorum.

Ubi ergo vera & exquiſita febris ardens eſt, intolerabili æſtu, ſitique inexplebili, reliquisque peſſimis ſymptomatibus ſtipata, raro ſeptimum diem tranſit, ubi vero leniora ſunt omnia, ſimilis tamen indolis febris eſt, continua nempe remittens, ſolet ſæpe adhuc ardens vocari; & quamvis periculoſa talis febris ſit, tamen non tam cito corpus deſtruit, ſed in majorem diuturnitatem excurrit, antequam in mortem, alium morbum, vel ſanitatem tranſeat. Sic febrem ardentem deſcripſit *Hippocrates* a), de qua dixit, quod iudicaretur breviſſime nono vel decimo die, longiſſime vero decimo quarto. Mitioris longe indolis febrem, quam tamen & ardentem vocat, ſeptemdecim dierum ſpatio iudicari dixit alibi b). In coacis prænotionibus c) habetur: „Febres

ardentes quatuordecim dies dijudicant, aut allevantes, aut perimentes.

a) De affectionibus. Cap. 3.
b) Epidem. I.
c) Coac. Prænot. No. 138.

Solvitur febris ardens ſæpe hæmorrhagia, non narium tantum, ſed hæmorrhagiis quibuscunque aliis. Imo *Hippocrates* a) diſerte notavit, mulieribus plurimis, dum febre ardente laborabant, menſtrua abunde profluxiſſe, notatque, nullam mortuam fuiſſe, cui vel per menſtrua, vel per nares ſanguis copioſe erupiſſet; imo videtur notaſſe, morbum illum epidemicum, quem tunc deſcribit, adeo proclivem fuiſſe in hanc evacuationem, ut plurimis virginibus tunc prima eruperint menſtrua, dum hoc morbo decumberent; prægnantes vero mulieres omnes, quas viderat hoc morbo affectas, abortum paterentur. Interim tamen illa, quæ per nares fit hæmorrhagia, præ reliquis maxime frequens eſt in febribus ardentibus, & maxime ſalutaris b); unde ſummam ſpem in hac evacuatione poſuit ubique *Hippocrates*, modo ſatis larga foret; & contra, ubi recenſet illa, quæ acciderent illis, qui ex febribus ardentibus moriebantur, notat,

quod

quod nulla ſanguinis eruptio facta fuerit, ſed quibusdam tantum pauculum quid ſtillaverit c), plurimique perierint, quibus ſanguis non eruperat d). Sic in ægro illo e), qui centeſimo die a febre ardente iudicatus fuit, quadrageſima die copioſus ſanguis e naribus erupit, & poſtea ad ſexageſimum diem usque perrexit ſanguis crebro & parca copia effluere; notatque, deliria, ſurditatem & febres imminutas fuiſſe, licet tamen difficilis hic morbus ſola hac evacuatione debellari non potuerit. Contra vero in alio ægro f), qui centeſima & vigeſima die periit, non adfuit ſalubris illa narium hæmorrhagia, ſed octavo die morbi tantum pauculum quid ſtillavit de naribus. Unde apparet, & in febribus ardentibus, quæ velociſſime decurrerent, & in raris illis caſibus, ubi in longum adeo morbum degenerarent, magnum pondus ad ſanationem habuiſſe ſanguinis per nares largam evacuationem.

a) Epidem. L. I.
b) Ibid.
c) Ibid.
d) Epid. II.
e) Ibid. ægrot. 9.
f) —— ægrot. 1.

Hæmorrhagia autem tertio vel quarto die parca, lethalis. Larga enim in periculoſiſſimo hoc morbo exquiritur, ſic, ut ad plures ſæpe libras aliquando profluat, optimo quidem cum ſucceſſu, quamvis a tanta ſanguinis jactura debiles ſæpe maneant ægri. Ubi vero paucæ tantum ſtillæ prodeunt tertio vel quarto die, lethale ſæpe ſignum eſt; tunc enim novimus, tantum quidem impetum eſſe, ut ſolvatur arteria in naribus, vel per anaſtomoſin dilatato ſuo extremo ſanguinem dimittat, interim tamen ſic inſpiſſatum eſſe ſanguinem, atque adeo in concretionem pronum, ut illico in aëre coëat, & factam ſibi viam obturet. Vidi in tali caſu guttulas illas ſanguinis de naribus ſtillantes, muccinio exceptas, non diffluxiſſe, ſed illico in ſolidas maſſulas concreviſſe. Generale hoc axioma practicum ſtatuit *Hippocrates* a): Iudicatoria non judicantia partim lethalia, partim difficilis judicii. Unde patet, quare parca talis hæmorrhagia adeo malum ſignum det, cum irritum naturæ ad criticam evacuationem ſic diſponentis molimen ſit. Sic in *Dromeadæ* uxore b) quarta die paucæ e naribus ſtillæ prodierunt, ſexto die convulſa periit. In altero ægro c) ſecunda die ex ſiniſtra nare paucus ſincerus ſan-

ſanguis effluxit, uti etiam & quarta die, qui quidem evaſit, ſed poſt multas moleſtias, & binas recidivas, quadrageſimo die tantum judicatus eſt. Notandum tamen eſt, quamvis parca illa ſtillicidia ſemper ſuſpecta ſint, tamen minus periculum eſſe, ſi paulo poſt, vel ſequenti die v. g. larga hæmorrhagia ſequatur, uti factum in *Metone* d), cui quarta die ex nare ſiniſtra ſanguis copioſus effluxit: ſed & poſt judicium crebro adhuc ſanguinem erupiſſe, monetur in hujus ægri hiſtoria.

a) Epidem. 2.
b) Epidem. I. ægrot. 11.
c) Epidem. III. ægrot. 3.
d) Epidem. L. I. ægrot. 7.

Cum autem optima ſit hæmorrhagia narium, quæ die decretorio fit, & quartus dies non adeo inter dies decretorios numeretur, ſed potius inter dies indices; patet ratio, quare veteribus medicis utcunque ſuſpecta fuerit hæmorrhagia, quamvis larga, quæ quarto die fit. Paribus diebus indicantur hi morbi; qui paribus exacerbantur; adeoque, ſi quarto die critica talis hæmorrhagia contingat, acceſſiones diebus paribus fieri demonſtrat; quod tamen pro

peſſimo ſigno in his febribus habetur. Ob hanc cauſam videtur *Hippocrates* monuiſſe a): quæ quarto die fiunt hæmorrhagiæ (narium), difficilem iudicationem faciunt." Habetur quidem in Epidemicis b) exemplum ægræ, cui quarta die ſanguis ex nare ſiniſtra effluxerat, quæ ſeptima die omnino iudicata fuit; verum, uti in coacis monuerat, aliud bonum ſignum coincidebat, nam eodem die quarto menſtrua, pauca quidem, ſed ordine comparuerunt.

a) Epidem. L. II.
b) Epidem ægrot. 7.

Cum ergo tantum boni a larga hæmorrhagia, ſi debito imprimis morbi tempore fiat, exſpectaverint veteres, non mirum eſt, ſi tanta cum cura inquiſiverint illa ſigna, quæ hanc evacuationem præcedere ſolent, & brevi adfuturam eſſe docent. Qui temerario auſu naturæ imperare volunt in morbis curandis, & cæco impetu quævis tentantes, omnia turbare ſolent, attentam horum ſignorum in morbis obſervationem faſtidiunt, credentes, ſe pro lubitu larga venæ ſectione poſſe illud omne perficere, quod ab narium hæmorrhagia ſperatur. Verum peſſime decipiuntur, & plurimæ obſervatio-

tiones medicæ docuerunt, ſpontanea narium hæmorrhagia ſanari morbos feliciſſime, qui fruſtra venæ ſectione tentata fuerant. Notavit *Benedictus* a), periodicam narium hæmorrhagiam tabis acceſſum protrahere, & iterata quacunque phlebotomia longe efficaciorem eſſe, atque hanc ſententiam exemplis practicis confirmavit. Juveni enim a ſuppreſſa narium hæmorrhagia, una cum hæmoptyſi phthiſis imminentis ſigna jam aderant, & quidem tanto periculoſioris, quia a parentibus impreſſum tabis characterem habebat. Parum profuit venæ ſectio; ſed rediens narium hæmorrhagia illum a tanto periculo liberavit. Viro, qui periculoſiſſima angina laborabat, quæ non tantum deglutitionem, ſed & reſpirationem intercipere minabatur, in brachiis & talis venæ ſectæ fuerant, nuchæ & ſcapulis ſcarificationes adhibitæ, enemata, aliaque plura incaſſum applicata; ſublingualium dein inciſione facta, quædam ſalutis ſpes affulgebat. Verum copioſiſſima narium hæmorrhagia facta, mox omnem malitiam morbus depoſuit. Plura ſimilia afferri poſſent obſervata, verum hæc ſufficient, ut demonſtretur, quantum ſalutaria naturæ in his ſanandis molimina præferenda ſint illis, quæ per artem

tentantur. Præterea in febre ardenti ſanguis, tenuiſſima ſua parte orbus, in concretionem tendit, atque in arteriis hærere incipit, unde ibi accumulatur, illasque distendit, in venas transprimitur tantum adhuc maxime fluida ſanguinis pars, unde per venæ ſectionem ſæpe in talibus morbis tollitur id, quod tranſitui per vaſa ſolum adhuc aptum erat: dum narium hæmorrhagia ex ipſis arteriis ſanguinem profundit, atque directa quam maxime via impetum & copiam ſanguinis ab encephalo avertit, cujus functiones in his morbis adeo turbari ſolent. Arteriotome ergo, vel ſcarificationes cum cucurbitulis potius profuturæ viderentur; verum patuit ex modo allegatis ex *Benedicto*, narium hæmorrhagiam longe promptius auxilium attuliſſe.

a) Theatrum tabidorum. Exercit. 5.

Optime ergo & famæ ſuæ, & ægris conſulet medicus, ſi memor moniti *Hippocratici* a), incumbat cognoſcendis illis, per quæ in morbis futura præſagire poterit. Majorem enim non tantum ægrorum fiduciam (magni certe momenti rem) ſibi conciliabit, verum etiam „ curationem optime in-

inſtituet is, qui ex præſentibus effectibus futura præviderit. Sanos enim omnes ægros efficere, impoſſibile eſt; id enim foret præſtantius, quam futura prænoſcere. Namque & eos, qui ſervari poſſunt, multo etiam melius ſervare poterit, ex longo tempore ſingula præmeditatus; & morituros & evaſuros præcognoſcens, & prædicens, omni prorſus culpa vacabit."

a) In Prognoſticis initio.

Oportet ergo ſerio expendere omnia illa ſigna, quæ ſalutarem in febribus narium hæmorrhagiam prænunciant, ne horum ignari importunis remediis quandoque turbemus, vel impediemus futuram.

Hæc prænunciatur cervicis dolore. Non adeo acutus ille dolor cervicis eſt, ſed obtuſior. Acutus enim cervicis dolor pejora ſæpe præſagit, tetanum nempe, ac convulſiones. Cæterum moleſta talis in cervice tenſio in pluribus mulieribus menſtruorum eruptionem præcedere ſolet, uti & notavit *Hippocrates* a). Verum & menſtruorum fluxum in his febribus utilem eſſe vidimus. Cervicis autem illa tenſio certius hæmorrhagiæ narium præſagium dabit, ſi reliqua

ſimul

ſimul ſigna ſequentia, vel quædam ex illis adfuerint.

a) Porrhet. L. I.

Temporum gravitate, tenebricoſa caliginc, præcordiorum contentione, ſine doloris ſenſu &c. Omnibus enim illis ſignis fere cognoſcimus, ſanguinis impetum & copiam verſus caput derivari, adeoque ſpem eſſe, ut ſoluta in naribus arteria, uſitato naturæ in his morbis ſanandis modo, ſanguis exeat. Verum quidem eſt, ſimul tunc metuendum eſſe, ne copia & impetu ſanguinis oppreſſo cerebro, deliria, convulſiones, aliaque peſſima mala ſequantur, niſi ſubito hæmorrhagia veniat: ſed docuit ab omni ævo fidelis morborum obſervatio, ſi hæc ſigna omnia, vel plura ex illis concurrant, non adeo metuenda eſſe hæc mala, ſed certo adfuturam narium hæmorrhagiam, quæ hæc omnia tollet. Prudentes enim veteres medici tunc omnia hæc ſymptomata habuerunt pro ſignis criticæ hæmorrhagiæ inſtantis, ſi debito morbi tempore fierent, neque naſcerentur ex aucta morbi malignitate, ſed ex irritatione naturæ ſe ad criſin disponentis. Unde ſuſpecta ſemper habuerunt

hæc

hæc ſigna, ſi in morborum velociſſimorum initio adeſſent, antequam coctionis ulla indicia apparuerint. Unde iudicantia non ſtatim, id eſt, in morborum initio apparere debent. Neque confidebant his ſignis, ſi jam ab initio morbi adfuiſſent, licet ad criſis tempus perſeverarent. Unde *Galenus*, dum ſigna recenſet futuræ hæmorrhagiæ, hoc tam ſollicite monet. Si enim caput doluerit a perturbatione criſin præcedente, neque ab initio morbi talis dolor adfuerit, ſi collum condoleat &c.; ſi ſpirandi quædam repentina difficultas, velut preſſo thorace ſuboriatur &c., tunc dicit hæmorrhagiam narium brevi adfuturam; monetque medicos, ne terreantur, licet hominem delirare, vel ſubſilire videant. Et *Hippocrates* lachrymas involuntarias tunc tantum pro ſigno hæmorrhagiæ habuit, ſi nullum aliud lethale ſignum adeſſet: aliter enim mortem præſagire dixit: hinc etiam, dum recenſet omnia hæc ſigna, quorum quædam & vomitus critici indicia ſunt, ſic habet: „Quibus vero in hujusmodi febre (non lethali) capite dolentibus, pro tenebris ante oculos apparentibus viſus hebetudo contingit, vel ſplendores obſervantur, & pro oris ventriculi morſu in hypochondrio ſive ad dextra,

ſive

ſive ad ſiniſtra, aliquid contenditur, neque cum dolore, neque cum inflammatione, illis pro vomitu ſanguinem de naribus fluxurum exſpectandum eſt; magis autem juvenibus; trigeſimum vero annum agentibus, vel & ſenioribus, minus, ſed his vomitiones exſpectandæ a)." Rubores autem faciei pariter inter hæc ſigna numeravit, dicens: Febricitantibus, quibus quidem rubores in facie, & capitis dolor fortis, & venarum pulſus, his ſanguinis fluxus plerumque contingit b)." Pruritus vero narium tenſionem majorem vaſorum ſanguineorum denotans, non futuram tantum, ſed jamjam præſentem hæmorrhagiam narium ſignificare monuit *Galenus*; dum enim ægri nares tunc fricant, illico ſanguis proſilit, quandoque & ſternutatione oborta idem fit. Adeo autem confidebat his ſignis *Galenus*, ut aliis medicis coram ægro prædicere auſus fuerit, illam mox futuram, & quidem ex dextra nare; adeoque non admittendam eſſe venæ ſectionem, quam ſuadebant omnes. Juvenis enim æger decumbens quinta die morbi de lecto exilire tentabat, ut vitaret rubrum ſerpentem, quem adrepentem ſe videre credebat. Obſcura quædam rubedo, quæ in dextra naſi parte ad genam usque

ex-

extendebatur, multo magis conſpicua apparebat; unde ex dextra nare ſanguinem erupturum concludebat *Galenus*. Juſſit autem famulo, ut clanculum vas adferret excipiendo ſanguini idoneum, atque ſub veſte occultaret. Paulo poſt æger indicem digitum prurienti naſo immittebat, moxque cruentum eduxit, ſequente ſanguinis rivo, quem adſtans famulus ſuppoſito vaſe, quod occultaverat, excipiebat. Præſentes medici, qui audacem hanc *Galeni* prognoſin riſerant, hoc viſo pudibundi aufugerunt omnes c).

a) In prognoſt.
b) Coac. prænot.
c) *Galenus* de prænotionibus ad Poſthumum.

Præter modo memorata ſigna futuræ hæmorrhagiæ in febribus adhuc alia apud *Hippocratem* veniuntur, ſed ſemper talia, quæ impetum, & copiam ſanguinis verſus caput augeri demonſtrant. Sic ſubitam anxietatem cum vigiliis huc refert, oculorum rubedinem, capitis concuſſiones & aurium bombos, ſubitam mentis percuſſionem cum anxietate, ſurditatem. Verum illa ſigna, quæ in aphoriſmo memorata habentur, omnium certiſſima ſunt, reliqua autem quandoque, ſed non ſemper adſunt.

Ple-

Plerorumque ſymptomatum, quæ hæmorrhagiam præcedunt, ratio utcunque intelligitur, quia videntur fieri a majori impletione & tenſione vaſorum ſanguineorum per externas æque ac internas capitis partes diſperſorum. Verum illa præcordiorum tenſio, absque dolore & inflammatione, uti monuit *Hippocrates*, quid hæc faciat, non adeo patet. Interim tamen obſervationes practicæ docent, magnum commercium inter hypochondria & nares intercedere. Sic notavit *Hippocrates* a) illos, quibus cæteroquin ſanguis ex naribus fluit, ſplenem habere tumidum. Plures novi, quibus verno tempore familiare erat, ſanguinem de naribus fundere, qui ſibi ipſi inſtantem hæmorrhagiam præſagire noverant ex dolore circa lienis regionem, quandoque etiam ex cujusdam palpitationis in eodem loco ſenſu. Nimis profuſam hæmorrhagiam fruſtra tentata ligatura artuum, aliisque remediis, illico compeſcuit *Galenus* b), dum magnam cucurbitam dextro hypochondrio applicaret; ſanguis enim fluebat ex nare dextra; ubi vero ex nare ſiniſtra ſanguis flueret, juſſit illam applicari lienis regioni; ſi ex utraque nare prodiret, utrique hypochondrio ſimul affigendam cucurbitulam voluit. Sic damnavit

navit *Hippocrates* ſanguinis c) eruptiones, quæ ex contrario fierent, ut dum in liene magno ex dextra nare flueret &c. Ex quibus omnibus patet, quantum illa in hypochondriis tenſio ad hanc prognoſin faciat, licet ex cognita hactenus corporis fabrica non adeo pateat omnium horum ratio. Sufficiat Practico talia per meram obſervationem cognoſcere, atque inde præſagire illa, quæ in morbis futura ſunt.

a) Porrhet. Libr. II.
b) Method. med. Libr. V.
c) Porrhet. Libr. I.

Optima autem hæmorrhagia eſt, quæ die decretorio, quarto nempe, ſeptimo, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo accidit, legitimis nempe criticis diebus; minus vero bona illa, quæ in die quodam critico coincidente contingit, tertio, quinto, ſexto, vel nono; ſuſpecta vero habenda erit, quæ aliis diebus obſervatur. Idem autem & de aliis criticis evacuationibus verum erit.

Objici forte poſſet, evacuationem materiæ morboſæ bonam ſemper eſſe, quocunque demum morbi die contingeret, adeoque ſollicitam illam temporis, in quo hæc fiunt, obſervationem plus tædii, quam uti-

litatis habere. Nemo dubitat, prodeſſe ſemper, ſi illa, quæ relicta nocerent, expellantur de corpore, modo integra talium evacuatio eveniat, neque una cum illis boni humores exeant, vel, dum hæc peragitur, tales & tantæ turbæ fiant in corpore, unde alia mala metuenda ſunt. Verum in generali hiſtoria febrium patuit, cauſam materialem febris per febrim ipſam (modo tali moderamine regatur, ut nec nimio impetu, nec nimis torpido motu peccet) ſubigi, & mobilem reddi, ſicque ad exitum disponi. Ad hanc autem mutationem materiæ morboſæ, quæ coctio dicitur, requiritur determinatum temporis ſpatium, varium quidem pro majori vel minori febris intenſitate indole materiæ ſubigendæ. Attenta jam morborum obſervatione veteres medici invenerunt, hæc tempora in morbis, quibus per febrim ipſam ſubacta & mobilis reddita morbi materia expellitur de corpore, hæc tempora vocarunt dies criticos. Illas vero mutationes morborum, quæ alio tempore fiunt, merito ſuſpectas habuerunt, quia ſæpe morbi ingraveſcentis impetu, errore commiſſo ab ægris, adſtantibus, vel medicis, fiunt, non vero naturæ morbo prævalentis effectus ſunt. Illud enim, quod morboſum eſt, a ſanis ex-

acte

acte ſecernere, ſolius naturæ opus eſt. Dum phlegmone valida nec reſolubilis locum corporis occupat, ne peritiſſimus quidem anatomicus obſtructa vaſorum extrema ſic ſeparare poſſit a reliquis, ut nihil læderet in ſanis partibus: interim natura per blandam ſeparationem determinato tempore illam ſeparationem morboſi a ſanis afficit. Notaverunt jam veteres medici, in febribus putredinem humorum, quæ fit in vaſis, ſimilem eſſe putredini humorum, quæ fit in inflammationibus & abſceſſibus, in quibus vincente natura pus fit; in humoribus autem venarum & arteriarum id, quod in urina puri proportione reſpondet. Ne autem putredinis vocabulum offenderet, monuerunt, hanc non eſſe ſimpliciter putredinem, ſed aliquid habere coctionis. Cum ergo in phlegmone in abſceſſum convertenda determinatum tempus obſervetur, antequam pus factum ſit, idem & in febribus verum eſſe patet. Sicuti jam male pertunditur locus inflammatus, antequam pus factum eſt, ſic etiam in morbis evacuationes factæ, antequam morboſi ſubactio & ſeparatio a ſanis facta fuit, vix prodeſſe poterunt, quia vel partem tantum morboſæ materiæ ſubducunt, adeoque recidiva exſpectanda eſt a reſiduo;

vel ſæpe impetu ſummo una cum noxiis bonorum humorum copiam de corpore expellunt, dum ſimul illud, quod in corpore relinquitur, iisdem inquinamentis gravatum manet, quia nondum integra horum ſeparatio facta fuit.

Quam parum proſit in morbis ante tempus debitum moliri ſeparationem materiæ morboſæ, docent evidentiſſime variolæ; quem morbum ideo pro exemplo ſeligo, quia, quantum videre potui, veteres medici illum morbum non deſcripſerunt, cum tamen dies critici veterum adeo efficaces in hoc morbo obſerventur. Suſceptum contagium varioloſum in homine ſaniſſimo febrim accendit, per quam febrim materia morboſa verſus corporis ambitum critica metaſtaſi deponitur. Si hoc fiat quarto morbi die, ſedatur febris, minuuntur non tantum, ſed & evaneſcunt ſæpe omnia ſymptomata, uti quotidiana obſervata docent. Ubi vero nimio febris impetu, vel calido regimine, ſudoriferis calidis datis ſtragulorum pondere &c. ante hoc tempus prodeunt variolæ, ſolent eſſe longe numeroſiores, pejoris indolis, neque ſymptomata multum mitigantur, imo eo pejora metuebat *Sydenhamus* in hoc morbo, quo citius ante quartum diem erupiſſent,

piſſent variolæ. Si áutem tardius erumpant, ſive hoc ob fractas ægri vires fiat, ſive impetuoſiſſima febris ſic turbaverit omnia, ut critica illa ſeparatio morboſi fieri nequeat, peſſima, & anomala penitus ſymptomata obſervantur, & fere ſemper certa pernicies imminet.

Ex omnibus his, credo apparet, obſervari in morbis quædam temporis intervalla, in quibus materia morbi mutata, ſubacta, & mobilis reddita, vel expellitur de corpore, vel ad alia loca deponitur. Simulque patet, ſedulam horum obſervationem ſummi uſus eſſe in morbis curandis, ne intempeſtivo ſæpe artis molimine noceamus, dum expellere nitimur, quæ nondum ad exitum parata ſunt, vel impediamus evacuationem illorum, quæ jam ſubacta & cocta locis convenientibus exitum moliebantur. Simul inde diſcimus, non confidere illis evacuationibus, quæ alio tempore fiunt, ſed plerumque vel morbus in pejus mutatur, vel ſaltem recidiva poſtea fit.

Solvitur & die decretorio vomitu, alvo. Quantum pondus habeant evacuationes in morbis, dum diebus decretoriis contingunt, modo demonſtratum fuit; neque enim hoc tantum in narium hæmorrhagia locum

 habet,

habet, verum etiam in reliquis evacuationibus hic enumeratis. Cum autem tot viſcera ſe per has vias evacuare queant, imo & totum corpus huc ſuos humores derivare poſſit, patet ratio, quare toties morbi materia critice evacuetur per hæc loca. Notandum tamen, non quemvis alvi fluxum vel vomitum hic conducere, nam inter maligna febris ardentis ſymptomata etiam vomitus numeratur, & ſtatim eodem hoc paragrapho patebit, alvum nimis fluxam in febre ardente lethalem eſſe. Agitur enim tantum hic de vomitu & alvi fluxu, quare poſt coctionem in febre ardenti & die critico fiunt, atque perceptum mox levamen ab ægris ſalutarem illorum effectum demonſtrat: hoc enim criterio imprimis diſtinguit *Hippocrates* a) ſalutares tales evacuationes a ſymptomaticis & nocentibus, ſi nempe conferant, & ægri facile ferant.

a) Aph. 2. Sect. I.

Solvitur etiam ſudore, calido nempe & copioſo, per univerſum corpus æquabiliter diffuſo.

Alia ſolutio urina contingit. Quamvis per urinæ vias naturaliter expurgentur illa, quæ

quæ per circulationis vim acriora reddita nocerent, ſi diutius manerent in corpore: tamen raro per hanc ſolam viam morbi materia exit, ſed plerumque aliæ evacuationes hanc comitantur. Unde etiam urinæ ſedimentum, copioſum, & laudabile ſedimentum continentes, potius pro coctionis ſigno habetur, quam quod ab hac ſola evacuatione integra ſanatio exſpectetur. Sic *Hippocrates* a) notat quidem, urinas copioſas multum ac laudabile ſedimentum continentes, narium hæmorrhagiam, binioſa alvo excreta, dyſenteriam, fuiſſe quatuor modos, quibus ſervabantur ægri febre ardente illius conſtitutionis laborantes: ſed ſimul monet, plurimos non una, ſed pluribus evacuationibus enumeratis ſimul contingentibus, ſanatos fuiſſe. Unde etiam *Galenus* b) hæmorrhagiam narium, ſudorem multum, poſt rigorem validum, toto corpore manantem & copioſum, & bilioſorum per vomitum aut alvum excretionem habuit pro illis modis, quibus febris ardens critice ſolvi ſolet.

a) Epidem. I.
b) De criſibus.

Alia criſis ſputo craſſo fit. Cum febris ardens, pro ſua cauſa proxima habeat cruo-

rem orbatum parte liquidiore, adeoque ille aptiſſimus ſic fiat, ut circa ultimas arteriarum anguſtias hærere incipiat immeabilis redditus, incipient pulmonis arteriæ brevi hoc ſanguine infarciri: quod docent reſpiratio denſa, anheloſa, cita, calor ad vitalia ardentiſſimus, ipſum aërem exſpiratum incendens. Unde etiam *Hippocrates* a) monuit, quod febris ardens ſoleat in pulmonis inflammationem tranſire, notatque ſputa bilioſa in hoc morbo excerni: & alibi b), multa ſpuere tales ægros, & purulentos reddi monet. Ob eandem rationem & tuſſicula inter ſymptomata febris ardentis recenſebatur. Dum ergo in ſanitatem tendit hic morbus, ſolvi incipiunt illa, quæ vaſis pulmonalibus impacta hærebant, & per dilatata extrema arteriarum exhalantium, in aërea ſuperficie pulmonum diſpoſitarum, exprimi; ſicque ſputa craſſa exibunt. Præterea in hoc morbo ſæpe tota aërea pulmonum ſuperficies ſicca fit, ſimili modo, ut in ore, faucibus, & lingua apparet; atque integræ ſæpius pelles una cum tenaci & viſcoſo muco ab omnibus partibus oris interni ſecedunt, ita etiam in pulmonibus fieri videtur, unde ſputa tunc craſſa, & fuſca primo, poſtea viſcoſa & tenacia excernuntur. Notavit inter

ter criticas ſolutiones febris ardentis ſputa craſſa *Hippocrates* c), dicens: „ Etſi ſanguis e naribus effluxerit, ſolvitur affectus, atque ſi ſudores ſupervenerint judicatorii legitimi cum urinis albis, craſſisque, & levibus ſedimentis, ac ſi abſceſſus aliquis ortus fuerit, recidiva morbi rurſus erit, aut coxæ, aut crurum dolor aderit, exſpuetque craſſa, ſi ſanus futurus ſit." Paulo poſt autem denuo ſputa craſſa, tanquam judicatoria in febre ardente memorat. Notat autem *Galenus* d) in commentariis ſuis ad hæc loca, ſputa craſſa in tali caſu tantum locum habere, ubi pulmo in febre ardenti affectus fuerit. Cum autem raro in ſolo pulmone labes hæreat, ſed omnes fere functiones corporis turbentur in periculoſiſſimo hoc morbo, patet, ſputa craſſa cum reliquis criticis evacuationibus ſæpe quidem concurrere, raro tamen vel nunquam judicium his ſolis abſolvi.

a) De affectionibus. Cap. 3.
b) De morbis L. II.
c) De victu morborum acutorum.
d) Ibid.

Abſceſſio die pari peſſima, ſi id ante diem ſextum. Exquiſita febris ardens, uti dictum fuit, omnia ſervat tertianæ indicia,

ſolummodo ab illa differens in eo, quod nec cum rigore invadat, neque in totum deſinat; adeoque patet, exquiſitæ febri ardenti proprium eſſe, ut habeat imparibus diebus exacerbationes. Si jam ſimul & die pari, quo remiſſior ſolebat eſſe morbi vis, nova acceſſio fiat, tanto pejus ſe habebant ægri, atque eo citius illorum vires proſternentur. Si vero ex unione febris continuæ & tertianæ intermittentis facta fuerit febris ardens hac lege, ut primus tertianæ paroxysmus in ſecundum morbi diem incidat, exacerbationes continuent diebus paribus, ideoque pro peſſimo ſigno hoc habetur, quia tunc exacerbatio in ſextum diem morbi incidit. Verum qui morbi diebus paribus exacerbantur, etiam diebus paribus judicantur; adeoque periculum eſt, ne judicium ſexto die contingat. Verum conſtitit ex ante dictis, quam infamis ſextus morbi dies habitus fuerit a veteribus medicis, dum plerumque malæ, vel ſaltem imperfectæ criſes hoc die contingunt; & ſi quid boni acciderit hoc die, ſemper tamen ineuntes turbas & ſummum diſcrimen ſimul habuit.

Patet hinc ratio, quare adeo periculoſæ ſint acceſſiones diebus paribus ante ſextum diem. Poſt hunc autem minus diſcri-

minis

minis in illis eſt, quia elapſo die ſexto, cum ſequens exacerbatio in diem octavum incidat, non eſt tam magnum periculum, ac die ſeptimo, qui levior eſt, ut pereat æger: adeoque cum ſeptimum diem ſuperet morbus, non erit exquiſita febris ardens, quam intra primam ſeptimanam certo terminari *Galenus* dixit. Ad acutos ergo ſimpliciter dictos morbos pertinebit, qui utplurimum quatuordecim diebus terminari ſolent: cumque in decimum quartum, parem nempe & ſimul inſignem criticum diem, tunc exacerbatio incidat, ſpes eſt, & eodem die perfectam criſin contingere poſſe. Confirmantur jam modo dicta pulcherrime *Hippocratis* obſervatis a): In febre ardente laborantibus enim, quibus pernicies imminebat, notat inter alia mala ſigna, quod acceſſiones fierent diebus paribus, quarto die labores haberent maximos, & ſexto die cum ſudore morirentur. Sic & in alia conſtitutione epidemica b) febres ardentes admodum lethales aderant, notatque plurimis ægris exacerbationes diebus paribus contigiſſe.

a) Epidem. Libr. I.
b) Epid. L. III.

Urina nigra, pauca, tenuis in febre ardente lethalis. Nigras urinas tanquam peſſimas

mas & lethales in prognoſticis damnavit *Hippocrates.* Quin imo *Galenus* a) teſtatur, quod nullum ſervatum viderit, qui talem urinam minxerat, & pro ſigno internæ mortificationis habuit, ac ſi corrupti jam & gangrænoſi humores per urinam exirent. Minus tamen periculoſam urinam voluit, in qua ſolum id, quod ſubſidet, nigrum erat; multo minus adhuc illam, in qua ſolum enæorema, vel nubecula nigreſceret. Atque ob hanc cauſam videtur in *coacis* b) haberi: „Pernicioſa eſt urina nigrum ſedimentum habens, & nigra.“ Paulo enim poſt in febribus erraticis nigras nubeculas in urinis quartanam febrem notare dicitur. Lethalis ergo habebitur imprimis talis urina, quæ tota nigra eſt, & omnium maxime, ſi ſimul fœtor adſit. Augetur periculum, ſi ſimul pauca & tenuis ſit; quia & gangrænoſam humorum diſpoſitionem notat, dum interim hæc corrupta non evacuantur ſatis per urinam, ſed pro maxima parte manent. Unde & *Hippocrates* c) notat, urinas nigras, paucas, tenues fuiſſe illis, qui ex febribus ardentibus moriebantur.

a) De Criſibus Libr. I.
b) Coac. No. 580.
c) Epidem. Libr. I.

Uri-

Urinis autem nigris copioſe prodeuntibus levamen percepiſſe puerperam, quæ lochiorum ſuppreſſione laborabat, notat *Galenus* a), dum commentatur morbum puerperæ, quæ lochiis ſuppreſſis tertio a partu die febre acuta corripiebatur, & cui undecimo die urinæ multæ tenues & nigræ profluebant, poſtmodum in aquoſas mutatæ, quæ mulier octogeſimo die periit.

a) In Comment. III. Libr. III. Epidemic.

In Epidemicis tamen habetur caſus, ubi ægri evaſerant, licet urinæ nigræ & tenues fuerint. Sic *Nicodemus* a) jam prima morbi die urinas tenues & nigras minxit, uti etiam ſecundo die, qui tamen vigeſimo quarto die, urina alba copioſum ſedimentum habente, & ſudore calido copioſo per totum corpus judicatus fuit, licet etiam perpetuo exacerbationes diebus paribus habuiſſet. Verum in hoc ægro quarto die morbi urinæ tenues quidem fuerunt, nigras autem fuiſſe non legitur. Et moroſa mulier, quæ in thaſo decumbebat b), licet circa tertiam diem urinas tenues & nigras habuerit, tamen nocte, quæ tertiam diem ſequebatur, ſudore critico judicata fuit, dum ſimul & menſtrua ſub criſin prodirent. In *Heropyto* c) ab initio

tio morbi usque ad decimum quartum diem urinæ tenues & nigræ fuerunt, qui tamen centeſima die judicatus fuit. Notandum tamen, quod in his ægris urinæ quidem fuerint nigræ & tenues, ſed non addatur, ſimul paucas fuiſſe: adeoque ex his non poteſt concludi, urinam nigram, paucam, tenuem, non ſemper lethalem eſſe. In *Metone* d) vero, qui etiam evaſit, urinæ erant tenues, & ſubnigræ, atque ſubnigrum & divulſum enæorema habebant, adeoque minus malæ, quam urinæ nigræ.

a) Epidem. III. ægrot. 10.
b) Ibid. ægrot. 11.
c) Ibid. ægrot. 9.
d) Epidem. Libr. I. ægrot. 7.

Lethale ſanguinis ſputum, lethalis ſanguinis mictus. Deſignant enim, eſſe impetum ſanguinis per vaſa moti, ut illa rumpantur, & contentum ſanguinem eructent: quantum autem periculum immineat, dum in pulmonis vaſis hoc fit, facile patet, ſi conſideretur, in febre ardenti celerrimam eſſe trajectionem ſanguinis per vaſa pulmonum, adeoque omni momento vaſa hæc rupta urgeri ſanguinis impetu & copia; hinc nullam conſolidationis ſpem eſſe, quæ in

cura

cura hæmoptaes unice pendet ab illis, quæ pacatiſſimum ſanguinis motum per vaſa efficere valent, ſimulque hoc præſtant, ut blandiſſima ſit omnium humorum indoles, quibus omnino contraria in hoc morbo obtinent.

Illa autem, quæ per urinam fit ſanguinis excretio, forte imprimis ideo fit, quod per acutiſſimam febrem olea & ſalia ſanguinis acriora reddita, naturaliter per has vias eliminanda, vaſa eraſerint, adeoque peſſimam humorum degenerationem indicat. Illæ ergo, quæ per has vias fiunt hæmorrhagiæ, nunquam criticæ ſunt, nec naturæ morbum ſuperantis robore fiunt, ſed a morbi impetu validiſſimo, & aucta humorum acrimonia pendent: cum e contra narium hæmorrhagia toties ſalutaris in febre ardenti obſervetur. Unde etiam & mictum ſanguineum, & violentam ſanguinis e pulmonibus eruptionem pro certiſſimis mortis ſignis habuit in variolis *Sydenhamus*; fatetur, ſe nulla methodo has hæmorrhagias compeſcere potuiſſe.

Deglutitio læſa mala. Quanta ſiccitas in faucibus, lingua, & toto ore interno, quandoque in febre ardenti fiat, dictum eſt. Verum a tanta ſiccitate harum partium de-

glu-

glutitio læditur; adeoque nocet hoc ſymptoma ut cauſa, & ut ſignum. Ut cauſa, quia ad curationem hujus morbi requiritur magna copia liquidi, aquoſi, tenuis, quod urinæ materiam ſuppeditabit, & ſudori præbebit vehiculum; verum deglutitione læſa ſufficiens liquidi copia ingeri nequit. Ut ſignum vero nocet deglutitio læſa, quia denotat peſſimam organorum deglutitioni inſervientium exſiccationem, vel & quandoque eorundem inflammationem, quamvis vel ſola ſiccitas deglutitionem lædere poſſit, & frequenter in febribus ardentibus illam impediat. Hinc dixit *Hippocrates* a): „In febribus de repente ſuffocari, & deglutire non poſſe, citra tumorem, malum."

a) Coac. Prænot.

Extremorum refrigeratio peſſima. Quando nempe non amplius recaleſcunt corporis extrema, vel ſaltem diutiſſime illud frigus manet. Cum enim febris ardens de genere ſit continuarum remittentium, & remiſſiones ſæpe manifeſtæ, atque exacerbationes pariter in hac febre deprehendantur; acerbationis ingruente tempore extrema ſæpe refrigeſcunt, uti in omni febre incipiente fit: verum frigus extremorum ab hac cauſa

natum

natum brevi ceſſat, & ingens calor ſequitur, neque adeo malum ſignum dat tale frigus. Sed ubi per æſtum febris ardentis ſic inſpiſſatus fuerit ſanguis, ut per minores arterias vix tranſire poſſit, tunc ad extrema corporis usque propelli nequit, & tantum fere per vaſa majora, & cordi vicina movetur, unde frigus tunc extremorum intolerabilis æſtus circa vitalia comitatur; illud autem frigus extremorum tunc diu manet, imo ſæpe non amplius recaleſcunt, uti contingit *Philiſco* a) & *Sileno* b), aliisque pluribus, quorum hiſtoriæ in Epidemicis habentur, qui perierunt.

a) Epidem. I. ægrot. 1.
b) Ibid. ægrot. 2.

Facies rubra, & ſudans mala. Quando per univerſum corpus calidus ſudor æquabilis diffunditur, optimum ſignum eſt: & febris ardens ſæpius, uti antea vidimus, tali ſudore judicatur. Verum hic agitur de ſudore, qui in ſola facie & capite obſervatur, uti in moribundis hominibus toties contingit. Videmus in morbis acutis paulo ante mortem, quamvis omni morbi decurſu tota cutis ſicciſſima fuerit, ſudoris guttulas erumpere, neque diffluere, ſed figuræ ſuæ tena-

ces cuti adhærere, & plerumque frigidus ſimul talis ſudor eſt. Quandoque tamen & calidus talis ſudor, in guttulas collectus, in facie apparet, malo etiam omine: tunc enim, ſanguine per febris vehementiam in minora vaſa pulſo, facies rubet; ſimulque impetu a tergo urgentis liquidi tenuiſſima adhuc pars exprimitur, quæ in cutis ſuperficiem emergens in guttas colligitur. Ubi enim ſoluta morbi materies per vaſa libera & pervia mota, ſudore expellitur de corpore, nunquam talis ſudor in guttas colligitur, ſed humidi vaporis ſpecie per totum corpus exit æquabiliter, vel collectus in liquorem depluit. Unde bonos ſudores dixit *Hippocrâtes* a), qui guttatim ſtillant, & vaporem attollunt. Contra vero monuit b), peſſimos eſſe, qui ſunt frigidi, & qui circa caput tantum, & faciem, & cervicem oriuntur; iſti enim cum febre acuta quidem mortem, cum mitiori vero morbi longitudinem prænunciant. Damnavit pariter, qui milii inſtar (in guttas collecti) prodeunt, uti etiam illos, qui in ſolo collo emergunt. Unde etiam alibi monet c), quod illi, quibus ex febre ardenti pernicies immineret, paululum in fronte & claviculis exſudarent, nemo vero per univerſum corpus. Patet ergo, quam malum ſignum det

rubra

rubra facies, ſudoris guttulis obſita, in febre ardente; deſignat enim, inflammatoria ſpiſſitudine immobilem ſanguinem vaſa aliena ingreſſum eſſe: vel circa arteriarum ſanguinearum ultimas anguſtias hærere, & pauculum liquidiſſimæ partis adhuc exprimi, ſimulque, inſtante jam morte, reſolvi ſic exhalantia in cute vaſcula, ut craſſum & viſcidum ſudorem transmittant. Quod & optime notavit *Hippocrates* d), dicens: „ Cæterum univerſalem ſudorum rationem noviſſe oportet; alii enim fiunt ob corporum reſolutionem, alii vero ob phlegmonis vehementiam.

a) In Prognoſt.
b) Ibid.
c) Epidem. Lib. I.
d) In Prognoſt.

Parotis non ſuppurans exitialis. Ubi parotides in febre ardente fiunt, ſignum eſt, materiam febrilem critice verſus illas glandulas deponi; cumque ſanguis in hoc morbo liquidiore parte orbatus ſit, & ſimul majorem acrimoniam acquiſiverit, benigna reſolutio parotidum exſpectari nequit; cum ad illam humores blandi, motus ſedatus, & cauſa obſtruens non nimis ſolidata requiritur, adeoque ſola ſuppuratio hic locum ha-

 bet,

bet, quæ ergo, niſi fiat, pejoris inflammationis exitus tantum exſpectandi ſunt. Vel & quandoque parotides jam tumentes ſubito evaneſcunt, redeunte iterum materia morboſa in ſanguinem, unde recidivæ peſſimæ, & in febre ardente ſæpe mors ſequitur; uti etiam antea dictum fuit ex *Hippocrate*, judicatoria non judicantia partim lethalia ſunt, partim difficilis judicii; deſignant enim irritos naturæ conatus fuiſſe, quod ſemper peſſimum ſignum habetur, niſi ſtatim in alio corporis loco inſignes abſceſſus appareant; vel criticis aliis evacuationibus, materia morbi eliminetur, uti pulcherrime monetur in coacis prænotionibus a), ubi ſequentia habentur: „Parotides ex acutis morbis, maxime in febribus ardentibus, fiunt; & ſi non judicationem fecerint, & matureſcant, aut ex naribus ſanguis fluxerit, aut urinæ ſedimentum craſſum habuerint, pereunt. Plerique vero talium tumorum antea ſubſidunt. Verum conſiderare oportet inſuper etiam ipſas febres, ſive intendantur, ſive remittant, atque ſic prænunciare.“ Sic enim limitatur illud præſagium, quod alibi magis abſolute ponitur b). *Ex febre ardente, abſceſſu circa aures non ſuppurato, raro ſervantur.* Si enim alia via exeat morbi materies, ſpes

eſt.

eſt. Inde etiam optime monuit *Hippocrates*: conſiderandum eſſe, an febris intendatur, vel remittat; ſi enim evaneſcente parotide febris ſubito augeatur, novimus materiam febrilem, de novo ſanguini miſtam illas turbas facere; adeoque malum morbi exitum metuendum eſſe. Ubi vero hoc non fit, brevi per alias vias exituram, vel ad alia loca deponendam eſſe, ſperare licet. Hinc optime dixit *Hippocrates* c) alio in loco, damnoſas eſſe parotides, ſi absque judicatione ſenſim diſſipentur. Quandoque etiam contingit, ut parotides dispareant, & mox morbi augmentum vel recidiva fiat, & deinde de novo iterum aſſurgant & permaneant d). Sæpius autem, dum evaneſcunt parotides, ad alia loca deponitur materies morbi, vel exit de corpore, ſi ſuperfuturi ſunt ægri. Sic notavit *Hippocrates* e), evaneſcentibus parotidibus, ad illum ſiniſtrum & ſummam coxendicem gravitatem decubuiſſe, & tarde, quadrageſimo nempe die, convaluiſſe ægrum. Et paulo poſt f) habet ſequentia: „Quibus tumores circa aures in febribus cum dolore attolluntur, quibusdam critice ceſſante febre, neque ſubſidebunt, neque ſuppurabuntur; illis orta diarrhæa links bilioſa, aut dyſenteria, aut craſſarum urina-

rum ſedimentum ſolvit, velut *Hermippo* Clazomenio, cujus hiſtoriam eodem hoc libro dedit. Huic ægro decimo ſeptimo die morbi ortæ parotides manebant quidem, ſed non ſuppurabantur; trigeſimo vero primo die, poſt alvi fluxum, & urinas craſſas, ſubſederunt. Ex quibus omnibus apparet, parotides in febre ardenti, ſi non ſuppurentur, exitiales eſſe; niſi illis ſubſidentibus, vel absque ſuppuratione permanentibus, alia via criſis fiat, ſive per effluxum, ſive per absceſſum; atque tunc in tali caſu non niſi longo tempore ægri judicantur.

a) Coac. Prænot.
b) Ibidem.
c) Porrhetic. Libr. I.
d) De humoribus in fine libri.
e) Epidem. I.

Quandoque etiam febribus quibusdam ardentibus epidemice graſſantibus familiare fuit, ut parotides absque ſuppuratione evaneſcerent; notatque *Foëſius* a) absque periculo hoc factum fuiſſe, procuratis per ſudores, aut alvi fluxum, evacuationibus.

a) In commentar. in Coacas *Hippocratis.*

Neque cogitandum eſt, licet parotides in febribus ardentibus ortæ ſuppurentur, ſem-

ſemper certam ſalutem ſequi: minus enim tutæ ſemper ſunt illæ criſes, quæ per abſceſſum fiunt. Sic notavit *Hippocrates* a), binis ægris ſuppuratas fuiſſe parotides, illosque tamen periiſſe. Quam rem poſtea ſummi nominis medici ſuis obſervationibus confirmaverunt.

a) Epidem. I.
b) Hallerii & Jocetii comment. in coac. Hippocratis.

Ubi autem hominibus absque febre prægreſſa, & cæterum ſanis, parotides oriuntur, quod ſæpius vidi, nullum in his periculum eſt, licet ad ſuppurationem non perveniant, ſed diſſipentur, quod & *Hippocrates* a) in quadam conſtitutione epidemica pluribus contigiſſe notat. Sed tunc, uti optime monet, tumores illi laxi ſunt, magni, & late diffuſi, absque inflammatione, & doloris expertes, in quibus curandis tutum reprimentium uſum *Celſus* dixerat. Cum contra parotides, in febre ardente natæ, duræ & dolentes eſſe ſoleant.

a) Libr. I. Epidem.

Alvus nimis fluxa lethalis. Critico alvi fluxu febrem ardentem ſanari quandoque, antea vidimus; verum hic agitur de illo al-

vi fluxu, qui ſymptomaticus potius habendus eſt, & affatim prorumpit. Strictam alvum in his morbis eſſe, minime conducit: cum enim acrior, vel corrupta bilis toties has febres incendat, & per inſignem æſtum cito corrumpitur bilis etiam ſana, patet, magis profore, ſi hæc ſaburra primis viis exeat, cum aëris libero acceſſu, calore, & mora, in peſſimam abeat brevi putrilaginem. Unde etiam in cura ardentis febris tantum uſum habent clysmata; non tantum quia diluunt, laxant, refrigerant, verum etiam, quia omne putridum in inteſtinis hærens eluunt. Non ergo malum eſt, ſi in febre ardente laxior alvus fit: quin imo *Hippocrates* a) notavit, raro contingere febres ardentes illis, qui laxiorem alvum habent; & obſervavit, alvum diſtrictam fuiſſe illis, quibus ex febre ardenti pernicies imminebat b). Ubi autem ingenti copia per alvum exeunt liquida, & imprimis antequam ulla coctionis indicia apparuerint, lethale eſſe pronunciavit *Hippocrates*, uti jam ſæpius dictum fuit. Solent tunc autem illa, quæ alvo exeunt, olidiſſima eſſe; unde humorum diſſolutionem putridam adeo hic metuendam, denotant; ſimulque magna copia liquidi de corpore ſic ſubducitur, & vires ægrorum

pro-

proſternuntur; adeoque talis alvi fluxus nocet tanquam cauſa & ſignum.

a) De aëre, aquis & locis.
b) Epidem. Libr. I.

Febris ardens cum tremore abit in delirium, inde in mortem. Conſtat, immeabilitatem liquidi per arterias encephali movendi in morbis ſæpe tremoris cauſam eſſe. Cum autem in febre ardenti diſſipentur liquidiſſimæ ſanguinis partes, & reſiduum ingenti æſtu torreatur, patet, quare tremores in febre ardenti fiant. Si autem tremorem ſequatur delirium, novimus ab eadem cauſa turbari totum ſenſorium commune, adeoque ſummum mortis periculum adeſſe.

Habetur quidem apud *Hippocratem* a), quod tremores in febre ardente natos delirium ſolvat; verum notavit *Galenus* b), ſolutionis vocabulum improprie hic uſurpari, cum plerumque morbi ſanationem ſignificet, in hoc autem caſu ex malo in pejus tranſitus fiat. Verum quidem eſt, ſequente delirio tremores ſæpe tolli, imprimis, ſi illud ferox fuerit; tunc enim immani muſculorum robore valent ſæpe tales ægri, ſed ſemper infauſto omine ut facile patet.

a) In coac. prænot.
b) In comment. in coac.

Tranſit febris ardens in peripneumoniam ſæpe cum delirio. Quod in peripneumoniam tranſire ſoleat febris ardens, dictum fuit; ratio ex ante dictis facile patet; uti etiam, quare etiam delirium ſæpe adſit. Ubi autem bina hæc adſunt in febre ardenti, ægros in maximo diſcrimine verſari nemo dubitat: imo *Hippocrates* binorum horum concurſum lethalem pronunciavit, dicens: „Quibuscunque in febre non intermittente ſpirandi difficultas fit, & delirium, lethale.“

Poſt ingentia alvi tormina, quæ oritur peſſima. Deſignat enim, inteſtina & meſenterium inflammatione correpta eſſe: verum febris ardens, dum hæc comitatur, ſummum periculum eſt, ne brevi lethalis hic gangræna ſequatur. Quam cito autem nata in his locis inflammatio in gangrænam abeat, dictum fuit in vulnerum abdominis hiſtoria. Patet hinc ratio, quare *Hippocrates* a) vehementes circa viſcera dolores in febribus acutis malos eſſe damnaverit; & alibi b) dixerit: ex alvi dolore laborioſo febris pernicioſa.

a) Aph 66.
b) In coac. prænot.

Sol-

Solvitur etiam febris ardens critice cum rigore. Quando ſimul cum frigoris ſenſu totum corpus concutitur, rigor vocatur; qui ſi levior & momentaneus fuerit, horripilatio dicitur. Appellatur & horror, quia a re horrida conſpecta, vel per memoriam repræſentata, ſimilis concuſſus corporis fit. Unde dixit *Galenus* a), quod non procul ab hujus affectionis notione abiiſſe videantur illi, qui rigorem refrigerationis ſenſum eſſe voluerunt: non enim ſemper cum frigore adeſt frigoris ſenſus: „ Quæ enim reſoluta ſunt, torpida, difficili, aut nullo prorſus ſenſu prædita, omnia perfrixerunt &c. Sed nullum ex his frigiditatem, quæ in ipſo eſt, ſentit, unde neque riget; ſin autem ſentiat, protinus & rigebit.“

a) De tremore.

Obſervaverat jam *Hippocrates* a), ardentem febrem ſuperveniente rigore ſolvi. In febre enim ardenti ſanguis liquidiſſima ſui parte orbus, circa arteriarum extrema hærere incipit, atque inflammationem per univerſum fere corpus facit. Impedito ſic libero tranſitu ſanguinis in venas, illæ deplentur, & omnis fere ſanguis in ſyſtemate arterioſo colligitur, unde ſummæ reſiſten-

tiæ naſcuntur ſanguini ex corde in arterias pulſo, adeoque & validus attritus, & hunc ſequens ſummus æſtus. Ubi autem uſu diluentium & attenuantium incipit ſolvi inflammatoria illa ſanguinis tenacitas, atque ſanguis ſic disponi, ut per ultimas arteriarum anguſtias in venas ſanguineas tranſire poſſit, ſolvuntur hæc obſtacula, & in vacuas venas ſanguis quam liberrime tranſit. Uno ergo momento tollitur ingens illa reſiſtentia, quæ prius in arteriis aderat, adeoque attritus, qui antea validiſſimus erat, jam fere nullus eſt; ergo ſtatim minuitur calor, & ſubito quidem, dum in vacuas venas pulſus ſanguis absque ullo attritu partium ad ſe mutuo verſus cor movetur. Verum & poſtea cor acceptum a venis ſanguinem per arterias pervias jam libere propellet, unde longe minor attritus. Si jam ſimul conſideretur, toto morbi decurſu liquidorum movendorum molem plurimum imminutam eſſe, (obeſus enim homo dimidium ſæpe ſui ponderis perdit, & gracilis ex periculoſo hoc morbo emergit) patet iterum, quare, libero tranſitu per arterias reſtituto, tam ſubitum refrigerium fiat. Verum ſubitum frigoris, poſt validum æſtum ſenſum, concuſſus totius corporis ſequitur, id eſt rigor;

gor; uti experiuntur illi, qui calido ex hypocauſto prodeuntes frigido aëri ſe exponunt.

a) In coac. praenot.

Ex his apparet, qualis ille rigor ſit, quo critice quandoque ſolvitur febris ardens: non enim omnis rigor in hac febre contingens bonus eſt, ſed tantum ille, qui a ſubita reſtitutione æquabilis humorum motus per vaſa fit. Dum enim nova acceſſio fit, ſive paribus, ſive imparibus diebus, rigor adeſt, ſed levior longe, quam ille, qui criticus eſt. Præterea diſtinguimus ſalutarem illum rigorem ab aliis, ſi poſt coctionis ſigna, & in die critico contingat, & evacuationes quasdam criticas præcedat, vel & mox ſequatur. Sic dum narium hæmorrhagia larga in febre ardenti contingit, illam ſæpe rigor talis criticus ſequitur, qui ægrum & adſtantes inani percellit metu, ac ſi mors inſtaret, cum contra in limine ſanitas adſit. Magna enim tali evacuatione ſanguinis arterioſi ſic minuitur preſſio in fines arteriarum obſtructarum, ut retropulſu molecularum obſtruentium inflammationis reſolutio fiat. Quod autem ſedulo obſervari debeat, quo tempore rigor in febre ardenti

con-

contingat, ut firma inde prognoſis haberi poſſit, patet ex *Hippocrate* a), dum monet, rigores, qui in febribus ſexto die contingunt, difficilis judicii eſſe. Verum hoc commune habet rigor cum omnibus aliis criſibus. Conſtat enim ex antecedentibus, diem ſextum veteribus medicis ſemper ſuſpectum fuiſſe, quod in illo plerumque malæ tantum, vel ſaltem infidæ criſes fierent. Poſſe autem rigorem a malis cauſis fieri, ſatis patet; dum enim immeabilis redditus ſanguis ad extrema usque corporis propelli nequit, rigor oritur, quem dein extremorum frigus, peſſimum in febre ardente ſignum ſequitur. Tales rigores damnavit *Hippocrates* b), dicens: ex rigore perfrigerationes, non recaleſcentes, malæ. Poſt criticum autem rigorem, reſtituto libero humorum per vaſa motu, brevi ſequitur æquabilis per univerſum corpus calor. Sic in muliere, quæ in mendacium foro decumbebat c), frequentes contigerunt rigores, ſed vel cum exacerbatione omnium ſymptomatum, vel cum frigore extremorum, quæ non amplius recaleſcebant, unde & periit.

a) In coac. prænot. N. 15.
b) Porrhet. L. I.
c) Epidem. III. ægrot. 12.

Quam-

Quamvis autem criticus talis rigor ſolutam, & mobilem jam morbi materiam denotet in febre ardenti, tamen hæc raro vel nunquam habet tales dotes, ut ſanis aſſimilata humoribus cum illis fluere poſſet per vaſa, absque ulla notabili functionum perturbatione. Valido enim tali morbo nimis mutantur humores: unde fere ſemper ſoluta hac materia morbi aliquam retinet dotem, qua æquabili circulationi repugnet, adeoque critica evacuatio fere ſemper talem rigorem ſequi ſolet: itaque febris ardens ſolvitur quidem cum rigore, raro tamen, vel nunquam ſolo hoc rigore ſanatur. Sic *Cleonactidi* a) octogeſimo die rigor obortus eſt: verum eodem die ſudore copioſo, & urinis ſedimentum rubrum & æquale habentibus, perfecte judicatus eſt.

a) Epidem. II. ægrot. 12.

Ex illis, quæ hactenus dicta fuerunt, conſtitit, quænam febris ardens vocanda ſit, & quomodo ab aliis febribus diſtinguatur. A ſynocho putri enim differt, quod non uno & continuo decurſu abſolvatur, ſed remiſſiones, atque exacerbationes notabiles habeat. Ab intermittentibus vero febribus diſtinguitur, quod non deſinat ad perfectam

inte-

integritatem febrilis impetus. A continuis remittentibus levioribus, æſtu ſummo, imprimis circa vitalia, & remiſſiore calore verſus extrema, ſiti inexplebili, ariditate totius corporis, imprimis differt: eodem tamen cum illis genere continetur, & tantum ſymptomatum malignorum numero & vehementia illas ſuperat.

Cauſam autem proximam talem eſſe, qualis in textu deſcribitur, patet, ſi conſiderentur cauſæ remotæ prægreſſæ, & ſymptomata præcipua, quæ in febre ardenti obſervantur. Labore enim nimio, ſolis æſtu, & reliquis, quæ ibi enumerantur, liquidiſſimam & blandiſſimam partem ſanguinis, aquam nempe, difflari, nemo dubitat; ſimulque reſiduum, hoc aquoſo diluente orbatum, ad inflammatoriam tenacitatem disponi, & majorem acrimoniam acquirere; per quam, ſive ſolam, ſive per calefacientia aromatica acria uſurpata auctam, quandoque & concurrente ſtimulo epidemico, incitatur circulatorii motus velocitas, ſicque validiſſima febris incenditur. Symptomata autem primaria ibi recenſita idem docent, imprimis urens calor, reſpiratio anheloſa, ſiccitas totius corporis, ſitis inexplebilis, & perturbatio omnium fere functionum.

Cum

Cum autem febris ardens adeo periculoſus morbus ſit, imprimis incumbendum eſt, ut firma habeantur præſagia, ex quibus conſtare poſſit, quid ſperare liceat. Omni enim culpa vacabit medicus, ſi viderit, & prædixerit, quinam perituri ſint, vel evaſuri; atque ideo monuit medicos *Hippocrates*, ut præſagiendi ſtudio incumberent. Agnoſcit quidem, præſtantius eſſe morbos ſanare, quam futura prænoſcere; verum ſanos efficere omnes ægros nemo poteſt: ſed melius ſervabit illos, qui ſervari poterant, medicus, qui futura in morbis præviderit.

Ex omnibus autem illis, quæ de cauſis, ſymptomatibus, & decurſu febris ardentis dicta fuerunt, firma ſatis prognoſis haberi poterit. Periculum adeſſe in hoc morbo, agnoſcunt omnes, varium autem diſcriminis gradum ex ſymptomatum numero & vehementia diſcimus. Cerebri functionum læſiones prævidemus facile, dum novimus, ſanguinem minus meabilem, rapidiſſime tamen pulſum, dilatatis vaſorum minorum orificiis illa ingredi, obſtruere, inflammare, ſimulque tenuiſſimam & mobiliſſimam partem ſanguinis deficere; adeoque ſpirituum ſecretionem, illorumque liberum tranſitum per encephali ſubſtantiam & ner-

vos impediri; hinc delirium, coma, convulſio &c. toties febrem ardentem comitantur. Summus æſtus circa vitalia, rapidiſſimus ſanguinis ſpiſſioris motus, & ſiccitas ingens pulmoni periculum imminere docent, ne vel ruptis vaſis lethale ſanguinis ſputum fiat; vel immeabili ſanguine pulmonis vaſis infarcto, in peripneumoniam funeſtam transeat febris ardens. Quibus autem modis natura ſanationem tentet in hoc morbo, quibus viis morbi materiam eliminet; quo tempore morbi hoc tuto & certo faciat, quibusnam ſignis hæc naturæ molimina prævideri poſſint, quomodo cognoſci poſſit, an ſalutaris, an funeſtus ſit exitus, omnia hæc tradita fuerunt. Patet ergo, quod ex hactenus dictis omnia, quæ ad prognoſin pertinent, hauriri poſſint.

Cum ex illis, quæ hactenus tradita fuerunt, conſtet, in febre ardenti eſſe ſummum æſtum, liquidiſſimæ partis diſſipationem, & reſidui inſpiſſationem, ſiccitatem corporis totius, & degenerationem humorum in putredinem, patet, in curatione requiri, ut temperetur nimius calor, reſtituantur liquida, quæ perierant; ſolvatur & attenuetur illud, quod in concretionem tendit, humectare totum corpus; atque talia adhibeantur,

quæ

quæ omni putredini maxime reſiſtunt. Unde curatio exigit

Aërem purum, frigidum, renovatum ſæpius. Tantus quandoque circa vitalia viſcera in febre ardente decumbentibus æſtus obſervatur, ut aërem inſpiratum accendat. Atque a tanto calore metus eſt, ne ſanguis coaguletur, & in pulmonalis arteriæ anguſtiis hæreat, ſicque febris ardens, uti ſæpe fit, in ſubito lethalem peripneumoniam terminetur; unde patet, opus eſſe, ut grato aëris frigidi refrigerio calor ille temperetur. Cum autem in his ægris ſubputridæ exhalationes continuo de corpore exeant, etiam moleſtæ ſanis hominibus, qui illorum curam gerunt; aër loci, in quo decumbunt, brevi his repletur & inquinatur, adeoque frequentem renovationem poſtulat: niſi enim hoc fiat, coguntur miſeri non ſine magno damno infectum talem aërem haurire continuo.

Integumenta minime ſuffocantia, vel aggravantia corpus. Dum ab hyemali frigore corpus defendere volumus, ſtragulis corpus obruimus, ſicque in proprii vaporis balneo hærentes caleſcimus. Si ergo in febre ardente idem fiat, calor ideo intenſus adhuc augebitur, & ſimul omnia illa mala

 ciet,

ciet, quæ ab aëre clauſo non renovato ſequuntur in hoc morbo. Hinc *Celſus* a) in cura febris ardentis juſſit, ut amplo conclavi teneretur æger, qua multum & purum aërem trahere poſſit, neque multis veſtimentis ſtrangulandus, ſed admodum levibus tantum velandus eſt. Et *Ætius* b) poſuit, tanquam primaria in febribus ardentibus auxilia, dicens: „Decubitus ſit in locis frigidis, patentibus, & aëre puro perflatis. Stratum molle, & ſæpe renovatum. Amicula aſſidue permutata, & ſatis gracilia, non ſordida. Lectus ſit abunde amplus, quo poſſint membra calefacta ſubinde ad alias atque alias partes transferri; & per flabellum aër ignavior concitetur.“ A veterum diſciplina receſſerunt poſtea medici, qui in hac opinione erant, per ſudores, etiam in initio, calidis remediis, & ſtragulorum pondere extortos, febres ſanari debere. Quam periculoſum autem ſit hoc tentare, niſi morbi materies & cauſa adeo tenues & mobiles fuerint, ut ſic difflari de corpore poſſint, antea dictum eſt. Neque novus hic in febribus ardentibus curandi error eſt, nam & *Celſus* c) jam de hoc conqueſtus fuit, dicens, ubi de ſudore promovendo poſt febrem finitam, vel ſaltem decreſcentem agit:

Hujus

Hujus autem rei cauſa continere æger ſub veſte ſatis multa manus debet, eademque cura & pedes contegere; qua mole plerique ægros in ipſo impetu febris, potiſſimeque ubi ardens ea eſt, male habent. " Conducit etiam, quo minus caleſcant, ut tales ægri potius ſupra culcitram, quam lectum plumis refertum, decumbant.

a) Libr. III. C. 7.
b) Tetrabibl. L. 2. Sermo 1.
c) Libr. III. C. 6.

Situs corporis erectus ſit. Quantum uſum habeat ad compeſcendum nimium febris impetum, ſi ægri quotidie per aliquod tempus lecto abſtineant, & in ſedili erecto corpore ſedeant, notum eſt. Simul etiam deliria, hic imprimis metuenda, vitantur, vel compeſcuntur, ſi jam adfuerint; quia in horizontali corporis ſitu, cæteris paribus, majori copia & impetu ſanguis verſus caput tendit; adeo autem confidebat huic auxilio *Sydenhamus* a), ut in variolis, dum ob nimium febris impetum jam in ipſo mortis agone conſtituerentur ægri, ab hoc ſolo fere quid boni ſperaret, ſeque plures ſic a morte liberaſſe teſtetur. Neque multum mali metuendum eſſe, licet frigidiuſculo aëri,

non multum etiam recto corpore, exponantur tales ægri, miro caſu probat. Juvenis enim quidam in ipſo ætatis flore, & media æſtate, variolis laborabat, quibus paulo poſt phrenitis acceſſit, dumque nutrix, quæ ejus curam gerebat, in urbem profecta aberat, mori videbatur adſtantibus, atque cadaver, ut putabant, de lecto ſublatum, nudum menſæ imponunt, linteo tantum ſemper ſuperinſtrato. Rediens nutrix, amoto linteo, ſubobſcura quædam vitæ indicia detexit, & projectum corpus denuo in lectum repoſuit, atque poſt aliquot dies interpoſitos incolumis evaſit, qui pro mortuo habitus, nudus fere, libero aëri tamdiu expoſitus fuerat.

a) Sect. III. Cap. 2.

Potus copioſos, blandos, demulcentes, ſubacidos, aqueos, calidos. Ut nempe reſtituatur aquoſæ ſanguinis partis jactura. Sitis inexplebilis, febris ardentis ſemper comes, quamdiu mens conſtat, ſatis indicat copioſum potum, uti & ingens totius corporis ſiccitas. Cum autem per febrim ipſam humores in majorem acrimoniam tendant, requiritur ſimul, ut potus blandi & demulcentes ſint, ſimulque acidi, vel ſaltem ſponte ſua in acidum vergentes; ut nem-

nempe occurratur putridæ degenerationi humorum, in febre ardenti ſemper metuendæ. Decocta avenæ, hordei, oryzæ &c. emulſa ex his & ſeminibus farinoſis parata, acidi vegetabilium ſucci, vel & fermentati, acetum nempe & vinum tanta aquæ copia diluta, ut ſtimulo ſuo nocere nequeant, rob & ſyrupi officinales his decoctis diluti, gratiſſimos ſimul & ſaluberrimos potus exhibent: ſimulque magna in his varietas haberi poterit, dum non omnibus eadem placent; imo & eidem homini contingat in hoc morbo ſæpius, ut nunc hos, nunc illos, potus ſumat avidius. Hoc & notavit *Hippocrates* a), atque ideo varias potuum in febre ardente ſpecies recenſuit, quæ tamen omnes habent illas dotes, quæ deſcriptæ fuerunt. Sic ſeminis lini decoctum, mulſam, aquam ipſam puram, decoctum hordei vel crudi, vel torrefacti prius (quod tunc ſimilem Coffe Aſiaticorum potum dat), vinum aqua dilutum &c. laudat.

a) De Morbis Lib. 3. capit. ult.

Diſputatum tamen fuit, an frigidos potus, an vero calidos, in febre ardenti dare conduceret, imprimis cum multa Veterum Medicorum loca doceant, quod frigidos po-

tus in febre ardente laudaverint, & igneum in hoc morbo ardorem frigida quaſi exſtinguere tentaverint. Sic *Hippocrates* a) dicit, de his potibus agens: „Multos autem edunt effectus: alii ſiquidem mictionem provocant, alii alvi dejectionem, alii utrumque, alii neutrum, ſed tantum refrigerant, ut ſi quis in vas aquæ ferventis frigidam aquam infundat, aut vento frigido vas ipſum exponat“: & plures ex deſcriptis poſtea potibus frigidos dari juſſit. Quin imo *Galenus* b) duo tantum capita curationis in cauſo agnovit; bilioſos nempe humores debere exſtingui, vel perfecte evacuari. Ad exſtinctionem autem frigidæ potum laudavit, quo cauſos ſe curaſſe perpetuo dicit, & quidem tam crebras fuiſſe has curationes, ut nequidem numeri meminerit. Sic & *Celſus* c) monuit, quod quidam aqua frigida tantum ad ſatietatem data pro medicamento uterentur in febre ardenti. Ubi tamen inflammationis præſentis ſigna adſunt, vel futuræ metus eſt, patet facile, quanta mala metuenda ſint, ſi æſtuanti a febre corpori gelidus potus affatim ingereretur. Conſtat, nec abſolute ſemper *Galenum* adhibuiſſe gelidum potum in hoc morbo, ſed cum jam mediocriter concocti eſſent humores; & *Celſum*

plu-

plurimas cautelas dediſſe, ne temere hoc in omni caſu tentaretur. Imo videntur Medici Veteres, dum frigidum potum darent, ſemper aliquid mali timuiſſe, imprimis ſi largis hauſtibus ingereretur: ſic cum *Hippocrates* d) aquam mulſam aquoſam ad dimidias decoctam commendat, illam frigidam quidem, ſed paulatim, exhiberi juſſit. Et *Ætius* e) integro capitulo de frigidæ aquæ exhibitione egit, noxas recenſens, quæ inde quandoque contingunt, & cautelas monens, quæ in hujus exhibitione obſervandæ ſunt. Noluitque in principio vel augmento morborum propinari, ſed tunc imprimis prodeſſe, quando præattenuatos humores (προλελεπτυσμ ενς χυμες) roborata per frigidæ potionem ſolidarum partium natura aggreditur, ſicque aptiſſima phraſi explicat, tantum tunc prodeſſe, ubi humorum tenuitas adeſt. Præterea de cura febris ardentis agens idem auctor f) monuit, aſſiduum uſum epithematum frigidorum, quæ pectori & ventriculo applicabantur, vitandum eſſe; & calida eadem applicata videtur præferre. Aliquando poſt cibum aquam frigidam ad cochlearis unius aut duorum menſuram ſorberi juſſit, maluitque, ut in totum ipſorum potus lactei teporis eſſet (ſic enim γαλακτῶδες vocabu-

 lum

lum vertendum eſſe probat *Foeſius* g). Præterea, ubi jam adeſſe frigidæ exhibendæ tempus in febre ardente credebat, monet iterum, minimum cujusdam mali imminentis metum impedimento eſſe ne exhibeatur; maluitque tunc ab aquæ fractæ uſu incipere; ſic autem vocavit, quando aquæ frigidæ partes quinque ad partem unam aquæ temperatæ calidæ miſcerentur. Quin imo monet in fine ejusdem capituli, quosdam Medicos methodi ignaros, & imitatos illa, quæ ab ipſo facta viderant, nihil profeciſſe, ſed & lethales habuiſſe ſucceſſus.

a) De morbis Libr. 3. capit. ult.
b) Commentar. 4. in Hippocr. de Victu in morb. acut.
c) Lib. 3. c. 7. p. 135.
d) De Morbis Lib. 3. c. ult.
e) Tetrabibl. 2. Serm. 1. c. 72. pag. 249. & in Editione Græca pag. 84 verſa.
f) Ibid. cap. 78. pag. 253. In Edit. Græca pag. 86.
g) In Oeconomia pag. 82.

Ex quibus omnibus, ut puto, apparet, Veteres Medicos non adeo abſolute, ac voluerunt quidam, commendaſſe gelidum potum in febre ardenti; ſimulque patet, quando & quibus ſub cautelis prodeſſe poſſet. Interim tamen nunquam nocebit, calidos potus propinare, cum ſic magis laxentur

vaſa,

vaſa, & melius diluantur liquida; neque ullus metus ſit a conſtrictione ſolidarum partium, vel liquidorum coagulo, quæ utraque ab imprudenti frigidi potus exhibitione metuenda ſunt. Neque repugnat, quod aëris frigus laudetur in hoc morbo; nam aër longe rarior aqua, caleſcit illico, dum inſpiratur; & nemo prudens gelidiſſimum hyemali bruma aërem æſtuanti a febre ardenti corpori applicabit, ſed tantum nimis æſtuantem aërem grato refrigerio temperabit.

Cibos leves, farinaceos, hordeatos, avenaceos, ex fructibus ſubacidis confectos. Eadem nempe, quæ pro potu laudata fuerunt: tantumque fere in eo differunt, quod paulo meraciora ciborum nomen habeant. Solam ptiſanam ſuam, vel ptiſanæ ſuccum, aut cremorem, in his morbis dedit *Hippocrates*; tenuiora, vel meraciora, pro vario morbi tempore & impetu, uti in Libro *de Victu in morbis acutis*, & paſſim in ejus operibus invenitur.

Venæ ſectionem, ſi morbi initium &c. Quantum uſum habeat venæ ſectio ad minuendum nimium in febribus impetum, demonſtratum fuit; adeoque videretur & hæc in febre ardenti ſemper conducere, cum urens calor adſit, & vehementiſſima ſymptomata

illam

illam comitari ſoleant. Interim tamen magna hic cautela opus eſt, cum aliquando venæ ſectio nocere poſſit. Dum enim circa vitalia viſcera immeabilis jam redditus ſanguis incipit colligi, & ingentem quidem æſtum circa præcordia facit, verum in extremis corporis ſimul frigus adeſt, novimus, pauculum ſanguinis tantum adhuc verſus extrema propelli, omnemque fere ſanguinem in ſyſtemate arterioſo colligi. Si ergo in tali caſu vena ſecabitur, tolletur pauculus ille ſanguis, qui ex arteriis in venas tranſire potuit, & quo ſolo adhuc vita ſuſtentabatur; adeoque ſummus metus eſt, ne pro remedio mortem venæ ſectio adferat. Unde patet, quare in initio morbi, quando, nondum difflata parte tenuiſſima, ſanguis adhuc ſatis meabilis eſt, venæ ſectio imprimis locum habeat, per quam & craſſiſſima ſanguinis pars evacuatur, diluentibus & attenuantibus remediis locus & facilior miſcela paratur, & futura inflammatio optime præcavetur. Ubi jam ante morbum plethora adfuit, major adhuc venæ ſectionis urget neceſſitas; uti etiam, ſi per ingentem morbi æſtum rarefactio nimia plethoræ effectus faciat. Cum autem ad inflammationem curandam, uti in ejus hiſtoria dictum eſt, venæ

ſectio

ſectio efficaciſſimum remedium ſit, patet ſatis, illam requiri, ſi inflammationis ſingularis ſigna adfuerint, imprimis circa pectus vel caput, unde lethalis phrenitis vel peripneumonia brevi ſequerentur: niſi enim ſubito ſuccurratur, talis inflammatio cito in gangrænam terminabitur. Quia autem per venæ ſectionem nimia velocitas circulationis minui poteſt, uti etiam ſanguinis denſitas, ſimulque per eandem moles movendorum minuatur, quæ omnia efficaciſſimæ caloris febrilis cauſæ ſunt; patet ſatis, intolerabilem calorem venæ ſectionis neceſſitatem in febre ardente indicare. Cum vero ſæpe neceſſarium ſit, impetum morbi a capite, quantum fieri poteſt, avertere, hoc reſpectu venæ ſectio in pede inſtituta locum habere poterit. Aperta enim vena, arteriæ in illam ſe evacuantes facilius deplebuntur, adeoque minor fiet reſiſtentia ſanguini in has arterias pulſo; & ſic revulſio a ſuperioribus partibus corporis obtinebitur.

Ex quibus omnibus patet, venæ ſectionem in initio febris ardentis utiliſſimam eſſe, in reliquo ejus decurſu non ſemper prodeſſe, ſed tantum tunc, quando modo memorata adeſſent, requiri; habita ſemper ratione virium, ætatis, & tempeſtatis anni. Pericu-

riculoſam autem venæ ſectionem eſſe, ſi projectæ jam vires fuerint, non vero a plenitudine nimia aut rarefactione ſuffocatæ; uti & ſi extrema frigida manſerint diu, pariter ex dictis apparent. Hinc monuit *Hippocrates*: „In acutis morbis venam ſecabis, ſi morbus vehemens appareat, & qui ægrotant, in ætatis vigore fuerint, & robur ipſis adfuerit a).“ Similia & *Celſus* habet, dicens: „Ergo vehemens febris, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, ſanguinis detractionem requirit b).“

a) De Victu acut.
b) Lib. 2. cap. 10. pag. 78.

Neque adeo univerſalem in febre ardenti curanda fuiſſe venæ ſectionis uſum apud Veteres Medicos, colligere liceret inde, quod *Celſus* a) de cura febris ardentis agens nullam illius mentionem fecerit. Neque etiam illius meminit *Ætius* b), cum tamen eandem in cura ſynochorum febrium tam ſimplicium, quam putridarum, laudaverit. Pariter nec apud *Æginetam* c) venæ ſectio in curatione febris ardentis memoratur. *Aretæus* vero d) de ſyncopæ curatione agens, cujus principium dixerat febrim ardentem, tunc imprimis commendat venæ ſectionem,

ubi

„ubi præ multitudine ſyncopa fit, & inflammatio aliqua inſignis in præcordiis aut jecinore apparet." Et paulo poſt ſubjungit, multo minus ſanguinis, quam in aliis occaſionibus, evacuandum eſſe, quia vel minimus hic commiſſus error ad interitum ducit.

a) Lib. 3. cap. 7. pag. 134. &c.
b) Tetrabibl. 2. Serm. 1. cap. 78. pag. 253. &c.
c) Lib. 2. cap. 30.
d) De curat. morb. acut. Lib. 2. cap. 3. pag. 100.

Si autem adſint quidem ſigna, quæ venæ ſectionem vel nocituram, vel ſaltem periculoſam fore ſuadent; interimque urgentia ſymptomata, nullo alio remedio facile ſuperanda, illam poſtulent; uti v. g. dolor pleuriticus, ingens capitis dolor & æſtus, angina ſuffocans &c.; tamen & hæc tentanda erit, ſed præſente Medico, ut, ſimul ac tale ſymptoma levari incipiat, vena claudatur: præmonitis ſimul ægri amicis, quantum diſcrimen adſit, dum hoc tentatur remedium; inevitabilem vero mortem inſtare, niſi hoc fiat. Pulcherrima circa hanc rem habet *Celſus*, ubi de venæ ſectione agit a): „Fieri tamen poteſt, ut morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videa-

deatur: ſed, ſi nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque ſit, qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni Medici eſt oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit: faterique, quantus in hac ipſa re metus ſit: & tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere. De quo dubitare in ejusmodi re non oportet: ſatius enim eſt, anceps auxilium experiri, quam nullum."

a) Lib. 2. cap. 10. pag. 79.

Clysmatum blandorum &c. Summum enim hæc habent uſum: eluuntur per hæc putridæ fæces in inteſtinis collectæ, foventur omnes hæ partes, ſicque a ſuperioribus revulſio fit. Præterea diluentia & antiphlogiſtica, inteſtinis recepta, deterſis & laxatis venarum meſeraicarum oſculis abſorbentur, ſicque ſanguini permiſcentur; atque ita optima dilutio & attenuatio ejusdem obtinebitur. Cum autem clysmata injecta venis recepta ſtatim (ſaltem pro parte) in venæ portarum ſinum deferantur, atque inde per totam hepatis ſubſtantiam propellantur, magnam efficaciam habere poſſunt in hujus viſceris obſtructionibus aut inflammationibus reſolvendis: cum remedia ſic illico, & vix per-

permutata viribus corporis, ad locum affectum pervenire poſſint. Ob inſignem autem ardorem, qui in febre ardenti circa præcordia invenitur, juſtus metus eſt, ne talia in hepate mala oriantur. Cum autem totus ſcopus ſit, hac via diluentia & laxantia corpori ingerere, ex molliſſimis parantur tantum hæc clysmata; acriora enim ſi fuerint, brevi tenesmus alvum deponendi ſequetur, ſicque exibunt de corpore. Sola aqua cum oxymelle & nitro hic ſufficit; vel & eadem in decoctis althææ, malvæ, hordei, avenæ &c. dilui poſſunt. Ter quaterve in die, vel & ſæpius, hæc applicari debent, & retineri in corpore, quantum commode fieri poteſt: in illorum uſu autem pergitur, quamdiu manent ingens æſtus & ſiccitas in toto corpore. Ubi vero lingua, fauces, oculi, cutis humeſcere incipiunt, & febris impetus remittit, & minuitur æſtus, tunc ab his abſtinendum eſt, ne nimis debilitetur corpus, vel ſic torpeat febrilis motus, ut cauſæ ſuæ ſubigendæ, movendæ, & excernendæ impar redderetur. Magni feciſſe in morbis acutis horum uſum *Hippocratem* novimus: poſtquam enim dixerat, in acutis venam ſecandam eſſe, ſi morbus vehemens appareat &c. addit a): „At ſi imbeciliores ap-

pareant, ac ſi plus ſanguinis detraxeris, clysmo alvino tertio quoque die utendum, donec in tuto æger fuerit." Ex quibus patet, quod vicariam ſanguinis miſſioni operam a clysmatibus exſpectaverit, & imbecillioribus, vel copioſa ſanguinis miſſione debilitatis, nonniſi longiori intervallo eadem applicuerit. Quantum autem uſum præſtent in revellendo impetu a ſuperioribus partibus, adeoque quam optima ſint in delirio & phrenitide, dum adſunt, vel & ad illa præcavenda, dum futura metuuntur, docuit *Celſus*, ubi de alvo lotionibus ducenda agit b), dicens: „Fereque eo modo dempta materia, ſuperioribus partibus levatis, morbum ipſum mollit."

a) De Victu acut.
b) Lib. 2. cap. 12. pag. 86.

Humectationem totius corporis hauriendo &c. Uti ante jam ſæpius dictum fuit, ex ſiccitate pereunt, qui febre ardente moriuntur: hinc omni artis molimine opus eſt, ut ſiccitas tollatur, vel caveatur futura. Unde interna corporis potu copioſo, & clysmatibus humectantibus, pulmonum aëre humido inſpirato, os internum & fauces collutionibus, nares internas vapore aquæ tepidæ

pidæ attracto, a ſiccitate præſervandæ ſunt. Verum & externæ corporis ſuperficiei, adeo ſæpe ſqualidæ in febribus ardentibus, pariter proſpiciendum eſt: hinc balnea pedum, imprimis ſi ſimul nudatum corpus inferius vapore aquæ alluatur, tantum uſum habent: manus immergantur ſæpius de die aquæ calidæ; axillis, parotidibus, inguinibus, ſpongiæ aqua calida turgidæ frequenter applicentur, ut omnibus his locis applicata aqua venas ingrediatur, & ſanguini, ob jacturam tenuiſſimæ partis immeabili, reſtituatur diluens vehiculum. Simul autem eadem opera tota corporis ſuperficies optime perſpirabilis redditur, ſicque hac via expelli poſſunt de corpore, quæ retenta nocerent. Operoſi fuerant in his Veteres Medici: vitis enim, myrti, roſarum &c. folia pavimento inſpergebant, aqua crebro hæc irrotantes; tepida fovendum & colluendum os jubebant frequenter; epithemata pectori & ſtomacho applicabant, pannos lineos oleo & aqua calidis madidos imponebant, vel ex alto in pectus illa delabi curabant &c a). Omnibus enim his factis peſſima ſymptomata, quæ febrim ardentem comitari ſolent, leniuntur, uti ſunt linguæ ſiccitas, ſitis inexplebilis, anxietas intolerabilis, tuſſicula,

vox clanguloſa &c. Neque hoc tantum, ſed per eadem corporis partes internæ & externæ ſic disponuntur, ut criticæ evacuationes, per quas febris ardens ſolvi ſolet, optime per illas fieri poſſint. Narium hæmorrhagia enim, adeo hic ſalutaris, emollitis naribus internis vapore aquæ tepidæ optime procuratur; laxata tota cutis pulcherrime ad ſudores criticos disponitur; mollis & humidus pulmo facilius per ſputa craſſa morbi materiam eliminat; emunctoria illa corporis, pone aures, ſub axillis & in inguinibus, tepidis fomentis continuo laxata, deponendam hic critica metaſtaſi materiam admittunt facilius &c. Unde patet, quantum uſum humectatio totius corporis in cura febris ardentis habeat.

a) Aetii Tetrabibl. Lib. 2. Serm. 1. cap. 78. pag. 253. 254.

Medicamenta aquoſa, blanda, nitroſa &c. De medicamentis non adeo ſolliciti videntur fuiſſe Veteres Medici; nec mirum, cum illa, quæ potus titulo offerebantur, uti etiam & cibi, remediorum vices gererent. Unde *Hippocrates* præter mulſam, poſcam, oxymel, vix quid dediſſe videtur; imo & hæc pro potu communi ægris propinabat,

Sic

Sic & apud *Celſum*, *Aetium*, aliosque nulla fere medicamentorum mentio fit. Si autem conferantur illa, quæ de cibis & potibus febre ardenti laborantium dicta fuerunt, patebit evidenter, eadem omnes habere dotes, quæ in medicamentis requiruntur. Nam aquoſa, blanda, demulcentia, ſubacida ſunt hæc omnia. Res enim eodem redit, ſive decoctum hordei, avenæ &c cum gratiſſimis acidis ſuccis vel ſyrupis pro potu communi, ſive medicamenti titulo quis dederit. Negligentiæ tamen accuſarent Medicum & æger & adſtantes, ſi in tam gravi morbo nullis officinalibus uteretur pharmacis; præſtat ergo & hoc titulo exhibere, talia, quæ eidem ſcopo ſerviunt, & magna varietate haberi poſſunt. Omnes enim ſyrupi, & ſapæ ex fructuum ſubacidorum ſuccis paratæ, aquis ſtillatitiis, in quibus fervidum non adeſt aroma, diluta, quales v. g. ſunt meliſſæ, florum ſambuci, tiliæ & ſimilium aquæ deſtillatæ; vel in decoctis ſcorzoneræ, graminis, tragopogonis, bardanæ, hordei, avenæ &c. ſoluta; ſaluberrima & gratiſſima ſimul medicamenta exhibent. Ex ceraſis, fragis, moris, rubi idæi baccis, ribeſiis &c. æſtivo tempore, dum recentia hæc adſunt, ſimilia parantur, dum leviter trita fervido hordei

vel ſimilium decocto infunduntur, deinde colatum liquidum ſaccharo vel melle edulcoratur. Additur his nitrum, quia & leviſſimum inter ſalia, & facile mutabile per vires noſtri corporis, optimum inflammatoriæ denſitatis eſt reſolvens, neque interim rigido nimis ſtimulo motum auget. Si hujus drachma dimidia vel integra ſingulis talium decoctorum libris diluatur, ſufficiet; majori enim copia datum ſalino ſtimulo motum augeret, qui jam nimius adeſt.

Omnibus jam his proprium eſt, ut alvum leniſſime laxent; quod ſemper conducit, ne putridæ fæces in inteſtinis diutius maneant: ratione aquæ, quam copioſam habent, urinæ materiam ſuppeditant, ſicque faciunt, ut per urinæ vias una cum aqua ſales & olea ſanguinis, per auctam motus circulatorii velocitatem acriora reddita, expellantur. Simul per eadem præbetur ſudori blandum vehiculum, quo toties, uti vidimus, febris ardens ſolvitur; quando nempe, ſolutis humoribus & laxatis vaſis, debito tempore morbi prodit. Periculoſa enim eſſe illa remedia, quocunque demum titulo ſuperbiant, quæ acri ſtimulo prædita ad ſudores movendos adhibentur, jam ſæpius dictum & demonſtratum fuit. Simul etiam

aquæ

aquæ calidæ copia, præcipue ſi molli glutine hordei, avenæ, & ſimilium dives fuerit, laxantur fibræ præ ſiccitate contractæ & rigidæ, ſaponaceis illis ſuccis & nitro liquorum craſſities attenuatur, ſimulque omnis acrimonia enervatur, partim diſſolutione, partim oppoſita horum indole, cum hæc omnia vel acida ſint, vel aceſcentia, & in febre ardenti in acrimoniam alcalinam putridam, vel oleoſam rancidam, vergant humores. Ingens jam remediorum, quæ hic conveniunt, numerus efficit, ut vel modice etiam materiæ medicæ peritus, non tantum medicamentorum jucunditate, ſed etiam grata varietate, ægris placere poſſit.

Cum autem febris ardens ſæpe hæmorrhagia narium ſolvatur, uti ex dictis patet; & quandoque illa tam impetuoſa obſervata fuerit, ut inde in diſcrimen ægri venire poſſet, non incongruum duxi hic addere illa, quibus immodicus ſanguinis per nares fluxus compeſci poſſit. Reliquæ autem evacuationes criticæ, quæ in febre ardente fiunt, vel vomitum, alvum, ſudorem, urinam, ſputa craſſa, raro adeo impetuoſæ ſunt, ut ab his aliquod periculum metuendum foret: & de vomitu, alvo, & ſudore cohibendis, ſi nimii fuerint, dictum fuit, quando de his in-

inter ſymptomata febrilia agebatur; adeoque ſufficiet de narium hæmorrhagia compeſcenda dicere.

Tam furibundo quandoque impetu ex ſoluta in naribus arteria ſanguinem erumpere, ut pauco tempore ad plures libras exeat, & metus ſit, ne ex ſubita & valida illa inanitione ſyncope aut convulſio fiant, obſervata practica teſtantur. *Galenus* in miro illo caſu, cujus mentio ſuperius facta fuit, cum hæmorrhagia, quam prædixerat, jam quatuor cum dimidia libræ evacuatæ fuerant, illam compeſcere debuit. Inter illa autem remedia, quæ huic ſcopo ſerviunt, laudaverunt multi venæ ſectionem; ut nempe impetum ſanguinis revellerent. Verum quam parum inde ſperandum ſit, dictum fuit. Simul etiam periculum eſt, ne per venæ ſectionem illa mala, quæ ob nimiam inanitionem metuuntur, augeantur, dum nempe illa adhibetur, poſtquam jam multum ſanguinis effluxerit. Ubi vero in juvenibus verno vel æſtivo tempore de naribus erumpit ſanguis, atque antea illos nimias tales hæmorrhagias paſſos fuiſſe conſtat, venæ ſectio locum habere poteſt, ut copia & impetus ſanguinis minuantur. Tales videntur fuiſſe illi caſus, in qui-

bus

bus *Galenus* a) teſtatur, ſe ſæpenumero per venæ ſectionem ſedaſſe ex tempore narium hæmorrhagiam. Nam in modo memorato caſu illam non adhibuit, ſed aliis uſus fuit remediis. Legitur quidem apud *Hippocratem* b): „Quæ ex naribus copioſa violenta multa fluxerint, ad convulſionem interdum deducunt: venæ ſectio ſolvit.“ Verum *Galenus* maluit in Commentariis ſuis ad hunc locum c) hoc ſic debere intelligi, quod venæ ſectio ſolvat, ſi ante narium hæmorrhagiam adhiberetur. Præterea in coacis prænotionibus d) aliter hæc ſententia exprimitur: loco enim Βίαια πολλὰ ῥύεντα habetur Βίῃ ἀπολῃφθέντα; ſicque ſequens, longe diverſus a præcedenti ſenſus habetur: „Quæ ex naribus larga (fluunt) vi ſuppreſſa, quandoque convulſionem provocant; venæ ſectio ſolvit.“ Sic enim per venæ ſectionem tollitur illud, quod importuna ſuppreſſione retentum fuerat; dum in priori caſu convulſio, ob nimiam inanitionem facta, per venæ ſectionem potius augeretur. Unde & *Sydenhamus*, qui in ſanis hæmorrhagiæ narium præcavendæ, vel & compeſcendæ, venæ ſectionem utilem laudaverat e), non multum tamen inde exſpectavit boni, ubi in fe-

bribus critica talis hæmorrhagia compeſci debebat f).

a) De curandi ratione per venæ ſectionem cap. 11.
b) Porrhet. Lib. I.
c) Ibidem.
d) Num. 336. ibidem pag. 86.
e) Sect. VI. cap. 7. pag. 360.
f) Ibid. Sect. I. cap. 4. pag. 86.

Artuum ligaturæ tales, quæ venas comprimunt, arterias vero non, huc ſpectant; cum ſic impediatur, quo minus ſanguis venoſus tanta copia verſus cor redeat, & multum ſanguinis ſic in venis facile dilatandis retineri poterit: ſicque tempus conceditur arteriæ apertæ, ut propria vi ſe contrahere poſſit. Cucurbitas magnas hypochondriis applicatas, dextro quidem, ſi ex dextra nare, ſiniſtro autem, ſi ex ſiniſtra nare flueret ſanguis, præ reliquis auxiliis laudat *Galenus* a): & cum fruſtra ſitu erecto frigida poſca nare attracta, ſpongia frigida mulſa imbuta fronti applicata, artubus deligatis, compeſcere tentabat nimiam hæmorrhagiam, illam ſtatim ſedavit cucurbita dextro hypochondrio affixa.

a) De Prænotione ad Poſthumum c. 13.

Ano-

Anodynis cum fructu nimium ſanguinis orgasmum ſe mouiſſe teſtatur *Sydenhamus* a); & dein purgante dato præcaviſſe, ne poſt rediret ſedata jam hæmorrhagia: ideoque dum hoc ſymptoma aderat, citius dedit purgans in febribus acutis, quam quidem aliter ſolebat.

a) In locis modo citato.

Ubi jam valida aderat hæmorrhagia, ut periculum in mora adeſſe videretur exhauſto jam fere corpore, nunquam fefellit me vitrioli albi meraciſſima ſolutio; ſi nempe turunda, hac madida, naribus immitteretur, curando ut quam profundiſſime ingrediatur nares. Hoc fit, ſi calamus linteo carpto obvolvatur ſolutione vitrioli imbuto, dein nari immittatur hac lege, ut primo perpendiculariter intrudatur ad pollicis dimidii circiter, plus minusve, longitudinem; ac ſi quis per narium foramina verſus fauces protrudere vellet, dein elevetur prudenter calamus, & recta ſurſum adigatur, quousque absque læſione fieri poterit, tunc compreſſis naribus lente educatur calamus, relicto linteo carpto. Niſi tali cum cautela hoc fiat, raro ad locum affectum vitrioli ſolutio pervenit. Relinquitur autem hæc turunda ibi,

do-

donec poſt unum alterumve diem ſponte elabatur. Similem methodum commendavit *Hippocrates* a) dicens: „Chalcitidem digito prius efformatam apprime, & cartilagines utrimque foris comprime: alvumque lacte aſinino cocto ſolve; & caput radens refrigerantia admove, ſi anni tempeſtas fuerit calida.“

a) De Victu acutor.

Cavendum interim, ne nimis meticuloſi natam in morbis his hæmorrhagiam ſupprimamus intempeſtive. Quamdiu pulſus adhuc plenus ſatis eſt, calor ad extrema usque, calor ruber in labiis & facie, nullum periculum eſt: ubi vero pulſus vacillare incipit, pallor conſpicitur, venæ concidunt, novimus, ſiſtendum eſſe ſanguinis fluxum. Sæpe accidit, ut ſubitam & validam hæmorrhagiam animi deliquium ſequatur, ſimulque ceſſet hæmorrhagia; natura tunc illud faciente, quod ars ſæpe imitatur in morbis acutiſſimis curandis, dum venæ ſectionem ad animi deliquium usque inſtituta illos quaſi jugulat.

Recenſita jam fuerunt præcedenti paragrapho illa, quæ in cura febris ardentis maxime notanda erant, Reliqua enim in generali

nerali febrium cura habentur. Quo enim tempore morbi cibos dare oporteat, quænam illorum debeat eſſe copia & vis, pluribus ibidem dictum fuit: uti etiam quomodo acris irritans ſtimulus corrigi vel expelli debeat, & quibus remediis lentor humorum ſolvi poſſit; quomodo materies morbi ad coctionem & criſim optime præparetur; viæ lubricentur, per quas morbi materia ſubacta, & mobilis reddita, exitum ſibi parat: de omnibus illis abunde dictum fuit. Symptomatum autem præcipuorum, quæ febres comitari, & quibus a ſe mutuo diſtingui ſolent, & variis quandoque nominibus vocari, hiſtoria & cura pariter pertractata ſunt; adeoque nihil addendum dictis videtur. Cum autem per febrim ardentem inflammatorii viſcerum morbi toties fiant, qui ſæpe ſingularia quædam in curatione notanda requirunt, & imprimis phrenitis vel peripneumonia; debent & addi illa, quæ poſtea de acutis morbis, ſingularem inflammationem hujus illiusve viſceris facientibus, dicentur.

FE-

FEBRIS PUTRIDA.

Natura febris putridæ.

Febris putridæ definitionem deſumunt medici ab incipiente ſanguinis diſſolutione, aut a peculiari in putredinem proclivitate ejusdem; utut morbus non in *ſolis humoribus*, ſed in *tota compage* quærendus ſit.

Putridam appellant 1) quod cauſæ putredini excitandæ faventes, *humidum calidumque* eam præprimis generent; aër putridus, mephiticus, alimenta putredini magis obnoxia &c. 2) quod *excreta ſecretaque* jam in vivo homine manifeſta putredinis ſigna habeant, ſcilicet alvus, urinæ, perſpirabile, ſanguis diſſolutus, coire neſcius, per varias hæmorrhagias dilabens; quod fere adhuc vivi incipiant gangræneſcere, ut ex livore, maculisque, & vibicibus conſtat; fœtor cadaveroſus adhuc in vivente &c. Hinc juxta illos apte reponitur natura hujus febris in naturali proclivitate animalis corporis in putredinem.

Hac de humorum in febribus quibusdam ad putredinem proclivitate, illorum quoque medicorum his febribus medendi methodus nititur, qui locupletiſſimo apparatu antiſeptico, cortice peruviano, arnica, radice ſer-

ſerpentariæ, controyervæ, camphora, alumine, omnem febrem putridam aggrediuntur. At non in omni putrida febre ſanguis ita ſemper diſſolutus apparet, ut non etiam, ſanguis denſus compactusque in iisdem febribus fuerit inventus.

Alii febris putridæ originem a peculiari fomite putrido in primis viis hærente, & poſt demum humorum maſſam inquinante derivant, ut ſi forte quis a comeſta carne putrida in febrem putridam inciderit. Certum tamen eſt, eſſe febrium putridarum quædam genera, ubi nullæ primarum viarum ſordes adſunt, & emetica aut purgantia exhibita, magis nocent, quam proſunt.

Fuerunt etiam, qui peculiare contagium putridarum febrium cauſam eſſe exiſtimabant; atque ideo alexipharmacis remediis utuntur. At vix unquam putridam febrem ex contagiis ortam fuiſſe recte dixeris; neque pernicioſius quidquam eſt, quam febrem putridam vix ſubortam, ſtragulorum pondere, & ſudoribus vi extruſis velle opprimere.

Ex his utique patet, eſſentiam febris putridæ neque in ſola humorum in putredinem proclivitate, aut in fomite putrido abdomen obſidente, aut in peculiari ſolum contagio reponendam eſſe.

Fe-

Febrem putridam non eſſe febrem ſpecificam, id eſt talem, quæ ſemper & ubique easdem proprietates habeat, *Celeberrimus Cloſſet* a) oſtendit. Id enim ex eo conſtare aſſerit, quod febris putrida varia, atque non raro plane oppoſita methodo ſanata fuerit. Alii enim methodum antiphlogiſticam contra has febres profuiſſe narrant, alii cortice peruviano, acidis mineralibus, aliisque roborantibus remediis inſigni cum emolumento utebantur; alii denique excitantibus, acribus, aromaticis remediis febres has ſanabant. *Strackius* b) febribus putridis evacuationibus gaſtricis medebatur; ſubinde in eadem febre repetito emeticorum uſu opus fuit c); imo in uno eodemque febris putridæ decurſu varia ſæpe opus erat medicina, ut in initio methodo antiphlogiſtica, venæ ſectione, ſolventibus, ſaponaceis, potuque refrigerante morbus eſſet oppugnandus, deinde abſterſa phlogoſi emeticum aut purgans exhiberetur, atque tandem ſordibus excuſſis ad roborantia remedia tranſitus fieret. Ex his palam eſt, diverſas has medendi methodos a varia febrium putridarum natura pendere, febremque putridam haud ſui generis febrem, ſibique ſemper ſimillimam eſſe. In iis utique febribus, ubi methodo

thodus antiphlogiſtica mire profuit, remedia acria, calefacientia peſſime ceſſiſſent; atque cortex peruvianus, & univerſim roborantia remedia tunc, cum evacuantia profuerunt, morbum pejorem reddidiſſent.

a) Mehrenheim. Wieneriſche Beyträge. B. II. S. 54.
b) De morbo cum petechiis.
c) Rat. med. T. II. c. 10.

His præmiſſis videamus, quid Veteres ſub febre putrida intellexerint. „Febrium putridarum nomen ut pervulgatum eſt, ait *Schrœderus* a), & frequentioris apud medicos, non recentiores modo, noſtræque ætatis, ſed etiam apud antiquiores uſus; ita & attentus quisque horum ſcrutator varios diſtinctivos facile reperiet hujus generis morborum characteres, in quibus optimi conſentiunt ſcriptores.

Etſi quidem *Hippocrates* nullum peculiare febrium genus putridarum nomine diſtinxerit; attamen ad putridæ humorum corruptelæ vim in producendis febribus quoque reſpexit. Sub τυφ๏ enim nomine febrem, putridæ cuidam recentiorum ſimillimæ, comprehendere videtur, cum de illius cauſis & ſymptomatibus ſequentem in modum loquitur b): „Invadit æſtatis tempore;

cum canis ſydus uritur, bile per corpus agitata. Statim igitur, cum febres vehementes corripiunt, & gravis ardor, & cum gravitate imbecillitas, crurumque ac manuum impotentia, quæ nullum ei uſum præſtant; venter perturbatur, & quæ ex eo dimittuntur, graviter olent, vehementiaque tormina accedunt." Hæc autem, ſi cum febrium quarundam putridarum ſymptomatibus comparaveris, invenies ea cum his ferme convenientia. Patet autem ex curationis methodo quoque ſimilitudo inter hanc typhum, & febres illas putridas. Nam abſtinentiam a balneis & cibo, ſorbitiones tenues & frigidas, vinum, aliaque commendat, ad tollendam hujusmodi febrem putridam potiſſimum apta. Dicit etiam alium typhum gigni, cum bilis putrefacta admixta fuerit ſanguini; iterumque alium, cum corporis humidum putrefactum, & plus æquo reſiccatum fuerit d).

Sed clarius multo tradidit febrium putridarum expoſitionem *Galenus;* nam non ſolum humorum putrefactionem inter morbos recenſet, quibus febriles diſpoſitiones oriantur e), verum etiam, quænam febres hac ratione excitentur, & quomodo hæ inter ſe differant, ex inſtituto definire conten-

tendit f). Ad præſtantiores quoque contemplationes illam refert, qua disquiritur, num, & quemadmodum ex utraque bile & pituita fiant quædam febrium ſpecies, e ſanguine putrefacto febres accidere ſoleant g). Pariter alibi h) febres ſynochos vel continentes in illas dividit, quæ putredinis ſtipatæ ſunt notis, & quæ his carent, pauloque poſt priorum febrium συνόχων genus ſic deſcribit, *quod ibi in omnibus vaſis & potiſſimum maximis, ſucci æquabiliter putreſcant.* Paſſim in operibus plura de febribus putridis profert. *Trallianus* i) peculiare febrium genus ſub putridarum nomine pertractat, notasque illarum præcipuas ſtatuit, nullum rigorem aut horrorem redeuntem, qualitatem rodentem per extimas partes magis perceptibilem, pulſuum ſyſtolen citatiorem & inæqualem, & urinarum cruditatem. *Ætius* k), ubi de febrium agit diviſione, in ſpiritibus ephemeram, in humoribus febrem putridam, in corpore cordis hecticam accendi aſſerit; & dein iterum tria ſumma conſtituit febrium genera, ephemeram nimirum, putridam & hecticam, & peculiaribus etiam in capitibus febres putridas pertractat l).

 a) Schræ-

a) *Schræder* opuſcul. Volum. II. p. 148. Diſſ. de febrium putridarum differentiis.
b) De internis affectionibus. Edit. Lind. T. II. p. 246.
c) Ibid. d. 249.
d) Ibid. p. 252.
e) De differentiis febrium. L. I. c. 3.
f) Ibid. L. II. c. 1. & 2.
g) Ibid. L. II. c. 9.
h) Meth. med. L. IX. c. 2. & 3.
i) Opp. L. XII. c. 2.
k) Tetrabibl. II. L. XII. c. 2.
l) Ibid. cap. 74. &c.

Symptomata febrium putridarum.

Cum itaque exacta febris putridæ definitio dari non poſſit, cum nulli dentur characteres *pathognomonici*, qui eidem *ſemper* adſint, & *ſoli*, & *omni*, ſatis eſt, eam ita deſcribere, ut vicem quodam modo definitionis deſcriptio ſubeat. Sed de ea ipſa deſcriptione mox monendum eſt, tantam eſſe ſymptomatum, quibus febres putridæ incedunt, copiam, atque tam varium ſuccedendi modum, ut, quid febris putrida non ſit, facilius poſſis dicere, quam quid ea ſit, atque potius ex plurimorum ſymptomatum in unam ſummam collectione, de præſentia febris putridæ judicemus. Symptomata itaque potiora, quæ in febrium putridarum decurſu occurrunt, ſeorſim conſideremus.

Fe-

Febrem putridam præcurſoria habere ſymptomata longo plerumque ante invaſionem tempore, dictum eſt in his commentariis. Inter illa ſymptomata a *Stollio* aphoriſmo 489 enumerata, ſequentia ſingulatim conſiderari merentur.

Calor, qui primo attactu vix præter naturam eſſe videtur, ſenſim increſcit, & tangentis medici digito ardoris ſenſum imprimit. Mordax ille calor ab interioribus corporis partibus ad externas videtur propagari. Hinc medicus de calore ægri judicaturus non ſit contentus, ſuperficiem duntaxat corporis exploraſſe, ſed ipſum pectus manibus contrectet. Si enim ægri manus extra ſtragula porrigunt, aut ſi vis cordis ita langueat, ut ſanguinem ad extrema haud poſſit propellere, aut ob inflammatoriam ſanguinis denſitatem, extrema ſæpe frigent, dum interea ingens æſtus vitalia viſcera exurit.

Pulſus plerumque celerior, non durus, ſed mollis, niſi id ab exorbitantibus vitæ viribus fiat, aut topica quædam inflammatio viſcera teneat; his enim in caſibus pulſuum durities plerumque obſervatur.

Varia cutis exanthemata febrem putridam ſolent comitari; inter hæc autem petechiæ

chiæ & miliaria frequentiſſima ſunt, etſi non in omni febre putrida appareant.

Typus febris putridæ plerumque continuam febrem refert, aut vagis ſaltem exacerbationibus incedit. Atque per hoc febris bilioſa ſimplex a putrida internoſcitur; illa enim certas habet exacerbationes & remiſſiones.

Fœtor oris peculiaris, vappidum acetum ſpirans, qui, cum ſemel ſenſu eſt perceptus, facilius ſenſu iterum noſcitur, quam verbis deſcribitur. Fœtor hic miliare præcipue exanthema præcedit, ſequiturve.

Facies peculiariter affecta, ut eam verbis vix deſcribas. Intenſus ſæpe genarum rubor, cum pallidus interim & flaveſcens circulus circa labia & nares obſervatur.

Lingua ſicca, arida, flavo viridique & tenaci muco obducta.

Urinæ flavæ, ictericæ, bruneæ, atræ, turbidæ aut rubræ absque ſedimento.

Alvus ſæpe diarrhæica; peſſimum ſignum, ſi nullum inde levamen.

Sanguis e vena emiſſus ſæpe ad ſpeciem ſaniſſimus; non raro autem diſſolutus apparet.

Sym-

Symptomata autem, quibus febris putrida ſæpiſſime ab aliis febribus poteſt diſtingui, ſunt: 1) animi peculiaris dejectio, probe diſtinguenda ab *hypochondriaſi*; 2) ſenſuum internorum & externorum tarditas, & ſtupor. 3) Vires vitales dejectæ, pulſusque reliquis ſymptomatibus non reſpondentes, ſæpius ferme naturales; aut in morbi progreſſu accelerati, & vere debiles. Reliqua ſymptomata *vaga* ſunt & *varia*, pro diverſitate ætatis, ſexus, complicationis cum aliis morbis. *Eadem* putrida *diverſis* conſtitutionibus *diverſimode* modificatur.

Vera igitur febris putridæ idea recte a virium vitalium debilitate, ex pulſu æſtimanda, deſumitur. Hæc vera virium vitæ debilitas, ſi mox initio morbi adeſt, *malignitas* appellatur, quam, ubi ſermo erit de ſymptomatibus febrilibus, fuſius explicabimus.

Ex hucusque dictis ſequentia ſequuntur axiomata:

1) Nulla datur febris putrida *ſpecifica*, & *ſui generis*, ſed ſub nomine febris putridæ diverſiſſimæ veniunt acutæ & periculoſæ febres, cum e. g. ſordes abdominis acres aliam efficiant febrem putridam, & calor humidus &c. denuo aliam.

2) Ergo cum *eadem* febris non ſit, etſi eodem inſigniantur vocabulo, ſequitur, non dari remedium ſpecificum & ſui generis contra febrem putridam, cum unum idemque remedium differentes febres, totoque ſubin cœlo inter ſe diverſas ſanare nequeat.

3) Inde patet, diverſiſſimas methodos in febribus putridis fuiſſe fauſte adhibitas, diverſiſſimas ajo methodos, in febribus putridis, quæ nihil inter ſe, niſi nomen commune habuerunt; cum quibusdam profuerit cortex, aliis arnicæ radix, aliis item radix valerianæ ſylveſtris, ſubinde camphora, emeſes ſubinde, alterantia, acida mineralia, aqua frigida, glacialis &c.

4) Etſi diverſiſſimæ febres hoc nomine, febris nempe putridæ, appellentur, nihilominus certum eſt, eſſe quasdam putridarum febrium ſpecies præ ceteris frequentes. Inde factum eſt, ut methodus medendi febribus putridis, quæ in quadam putridarum febrium ſpecie cæteris frequentiori, fuerit utilis obſervata, omnibus prorſus putridarum ſpeciebus accomodaretur, licet male. Verum inferius deſcribam has crebriores febrium putridarum ſpecies.

Id quoque hic notandum eſt: Initium febris putridæ non ſemper idem eſſe. 1) Subinde

inde ſenſim ſine ſenſu obrepit, ut æger & medicus decipiantur hac mali lenitate ſubdola. 2) Nonnunquam inflammatoria ſymptomata in morbi principio adſunt; ſanguine phlogiſtico licet detracto, fit tamen mox ingens virium ruina, & vera putrida. 3) Subinde febris poſt aliquot dies convaleſcentiæ redit, jam non prior, ſed putrida vera. 4) Subinde præcedens febris non putrida tractu temporis ſenſim in putridam abit. 5) Nonnunquam mox in initio adſunt indubitatæ febris putridæ ſymptomata.

Graviſſimi momenti regula practica hæc eſt: ut tempore febris putridæ regnantis, quamcunque febrim, undecunque, etiam a cauſa ſingulari ortam, ita conſideremus, quæ aut putrida ſit, aut aliquid de putrida participet, aut in eandem abeat. Sic variolæ, morbilli, febres puerperarum, vulnerariæ &c. ſæpe in putridam abeunt.

Cauſæ febrium putridarum.

Cum, ut ex prædictis patet, varia ſit febrium putridarum indoles, cauſa proxima febris putridæ determinari non poteſt; remotiores duntaxat, easque præcipuas tantum recenſebimus.

Morbi prægreſſi, præcipue morbi febriles, hosque inter febres bilioſæ, gaſtricæ, ubi tempore convaleſcentiæ in dietæ leges fuerat ita peccatum, ut relapſus ſequatur. Relapſus hi ſæpenumero ſunt in febrem jam non ſimpliciter bilioſam, ſed putridam.

Febris bilioſa ſimplex neglecta, gravior, calide tractata, aut nimis e contrario venæ ſectionibus. Cauſa hæc eſt frequentiſſima, hinc plurimum intereſt, utrumque morbnm noſſe.

Ipſa febris bilioſa ſolummodo gravior jam meretur dici putrida. Hæ febres putridæ, ſeu potius hæ febres bilioſæ *intenſiores* æque frequentes ſunt.

Æſtus & calidum clima, ſimulque depreſſum caliginoſum, vaporibus aquarum ſtagnantium fœdum. Inde regionum quarundam inſalubritas infamis, inde loca quædam Italiæ, & quædam etiam nunc quotannis multorum funeribus notantur, ex putrida febre pereuntium. Tali enim ſub æſtu & climate 1) humores tenuiores calore e corpore diſſipantur, denſiores remanent, bilis craſſa, acrior, in putredinem pronior. 2) Reliqui humores ciborum ſolutioni inſervientes parcius ſecernuntur, atque hinc digeſtio læditur. 3) Calore humorum fermentatio &

pu-

putredo acceleratur. Ex hac cauſa cibi facile corripiuntur; morbi ſaburrales, morbi bilioſi putridique per æſtatem frequentiores. Inde æſtates quædam & autumni præ aliis exitiales & peſtiferi.

Alimenta mere carnea absque omni vegetabilium, aut acidorum uſu. *Boerhaäve*, cum ob podagricos cruciatus per 5 dies ſolis carnibus veſceretur, vehementiſſima nauſea corripiebatur.

Alimenta quæcunque alia concoctu difficilia; item diæta nimis parca, uti in urbibus obſeſſis, in annonæ caritate &c. Hinc anno 1772 febres putridæ late per omnem Europam graſſabantur.

Atmosphæra exiguorum tuguriolorum, carcerum, cryptorum, noſocomiorum, templorum, navigiorum, effluviis corporum animalium hominumque repleta. Ex 146 hominibus in anguſto carcere Calcuttæ incluſis, 123 una in nocte ob liberioris aëris penuriam vitam cum morte permutarunt a); ſine omni dubio propter putridam aëris corruptelam, ortamque inde febrem putridam vehementiſſimam, quod ex ſymptomatibus l. c. enarratis colligere licet.

a) Zimmermann von der Erfahrung. 2. Theil.

Ex-

Excernendorum retentio. Huc pertinent tranſpirationis, urinæ, & alvi obſtructio. Materiam perſpirabilem extra corpus facile putreſcere, innumera fere triſtiaque demonſtrant exempla eorum, qui in anguſto loco ſine libero aëris recentis acceſſu occluſi, vi materiæ perſpirabilis putrefactæ in morbos putridos citoque lethales inciderunt; hinc autem veroſimillimum eſt, hujus materiæ in corpore præter naturam retentionem, vel putredinem humoribus inducere poſſe, vel eos ſaltem ad illam maxime disponere. Urina autem ad abluendos ſales humorum acres deſtinata, ſic eorum putredinem arcet. Si ergo obſtruitur, ſalia hæc in corpore remanent, humorumque acrimoniam ac diſſolutionem augent. Hinc in Iſchuriis plus noxæ ex humorum acrimonia naſcitur, quam ex accumulati lotii copia. Sin autem, quæ per alvum excerni debebant, retinentur, ipſorum putredo in dies augetur, & reliquos humores inficit.

Abuſus ſalium, præcipue volatilium. Salia volatilia injuſta copia aſſumpta putredinem ciere poſſe, *Huxhamus* a) inter alios aſſeruit, & egregia comprobavit obſervatione, etſi extra corpus putredini, ſecundum experimenta a *Pringlio* b) inſtituta, reſiſtant.

ſiſtant. Haud tamen penitus negat vir iſte, ſalia volatilia quantitate nimia temporeve injuſto ingeſta, humorum putredinem accelerare, ſed hunc effectum ab aucto ex eorum uſu calore & fluidorum motu potius, quam ex vi ſeptica iis propria derivandam eſſe ſtatuit. Ita obſervavit *Pringle* magnam ſalis culinaris copiam carnium putredinem arcere, parvam illam accelerare c). Ipſa immodice uſurpata acida tendentiam humorum in putredinem augere, nonnullis viſum eſt. Sales alcalinos fixos humores etiam colliqueſcere, teſtatur *Huxhamus* d), & ſimul morbi putridi, ex diuturno uſu lithontriplici alcalici orti, refert hiſtoriam.

a) Huxham de febribus.
b) Pringle Verſuche.
c) ——— Ibid.
d) Huxham de febribus.

Abuſus medicamentorum mercurialium, terreorum, & aromatum. Mercurialium frequens, diuturnus & imprudens uſus ſanguinis craſin ex toto diſſolvit, eumque putridum reddit, quod vel peſſimo ſalivantium fœtore comprobatur. Habuit *Stollius* aliquot exempla venereorum febre putrida tentatorum ſub ipſa cura luis; internoſci debens

bent initia hujus febris a morbo, ut mox in principio obviam eatur. Terreorum remediorum vim ſepticam experimentis demonſtravit *Pringle* a). Hinc veroſimillimum quoque eſt ipſa, corpori ſine juſtis applicationibus applicata, putredinem ibi ciere, vel certe ad illam prædisponere poſſe. Aromatum abuſus, cum humores valde reddat acres, ad putredinis ſaltem pertinet adjumenta b).

a) Pringle. L. c.
b) Gilbert. Diſſ. de putredine animali. §. 13.

Mœror diuturnus; ira frequens compreſſa. Turbatur œconomia gaſtrica his affectibus mirifice, ut norunt, qui experti ſunt: appetitus dejicitur, os amareſcit, languent &c.

Fomites ulceroſi, cancroſi &c. vel ſecundinæ relictæ putreſcentes, & humorum maſſam inficientes.

Univerſim effectus putredinis in ſolidis, fluidis, & nervis conſpiciuntur a). In ſolidis partium continentium imminuit cohæſionem, majoremque iis inducit mollitiem, unde præter morem aucta flexilitas; erodit etiam ipſa. Humores corporis reddit acres, juſto tenuiores, & ad nutritionem ineptos, unde facile extra præſcriptos terminos vagan-

gantur, & obſtructiones, exanthemata, gangrænas, aliaque vitia gignunt. Nervos ex acrimonia irritat, unde variæ ſyſtematis nervoſi turbæ. Speciali quadam vi quoque in nervos agere videtur, quod ex variis illis ſymptomatibus nervoſis, quæ putridos utplurimum comitantur morbos, & ex ſola irritatione derivari nequeunt, probabile fit.

a) Schrœder diſſ. citat. p. 161.

Diviſio febris putridæ.

Variæ a variis auctoribus febris putridæ partitiones habentur, quæ tamen omnes aut nullam, aut perexiguam medico clinico utilitatem præſtant. Omnes fere ita ſunt comparatæ, ut medicum neque in cognoſcendo, neque in ſanando morbo dirigant. Solemniores nunc febris putridæ diviſiones, & quid harum quælibet ad cognitionem, prognoſin, medendique methodum conferat, videamus.

Prima diviſio: Dividunt auctores febrem putridam *a loco*, in febrim carcerum, navigiorum ſeu nautarum, in febrem noſocomialem. Febrim hungaricam, quæ quidem male ſoli Hungariæ; aut illi præ aliis

regio.

regionibus adſcribitur, cum eam febrim vel in medio Germaniæ, hinc æque frequentem, aut frequentiorem non raro obſerves. Febris, quæ caſtris noſtris in Hungaria poſitis, quæ vitæ abnormi militum, quæ advenarum intemperantiæ, in feliciſſimis & fortunatis Hungarorum ſedibus debebatur, peſſime certe ipſi Hungarico ſolo tam feliciter ſito adſcribebatur. Huc pertinet etiam febris *flava Americanorum*; quæ ibi frequenter, hic raro viſitur; viſa tamen nobis eſt priori æſtate 1777 binis vicibus, ubi ægri ictero perfuſi ex putrida febre perierunt.

Partitio hæc parum in medicina clinica utilitatis habet; locus enim morbi naturam non oſtendit, hinc neque notionem directricem ſuppeditat medico, utpote quæ ab indole febris deſumi debet.

Secunda diviſio a parte peculiariter affecta. Sic datur phrenitis putrida, ſi cerebrum affectum; angina putrida, quam aliqui malignam vocant, alii tanquam novam, ſpecificam, atque contagioſam anginæ ſpeciem deſcribunt, etſi hoc verum non ſit, neque a febre putrida eſſentialiter differat. Obſervantur ſubinde ſymptomata peripneumonica aut pleuritica cum ſymptomatibus febris putridæ conjuncta; hinc peripneumonia & pleuriti-

ritides putridæ, aut Veterum febris catarrhalis maligna, quæ, ut verum fateamur, febris putrida eſt, cum topica thoracis affectione; ſic dyſenteria maligna, ſic multæ aliæ febres.

Sed neque hanc partitionem practicam dixeris; nam ſeu in capite, ſeu in thorace, ſeu in abdomine ſingulare aliquod ſymptoma appareat, indicatio ſemper eadem manet, febris ſcilicet putridæ ſanatio. Ad prognoſin tamen hæc partitio quodam modo facit, ut nempe ſciamus, morbum eſſe eo periculoſiorem, ſi nobile quoddam, & ad vitam neceſſarium viſcus affectum ſit.

Tertia diviſio in exanthematicas, & non exanthematicas. Has ultimas veteres medici febres *petechizantes* appellabant, tales nempe febres, quarum typus ſynochum putrem exacte æmulabatur, ſolam petechiarum eruptionem ſi excipias.

Febres putridas exanthematicas iterum dividunt ratione diverſorum exanthematum in putridam miliarem, putridam ſcarlatinam, putridam eryſipelatoſam.

Neque hæc partitio magni momenti eſt; præſentia enim aut abſentia exanthematum in medendi methodo nihil mutat, atque illi graviter errant, qui ſemper & ubique con-

ſpectis cutis efflorescentiis ad ſudorifera remedia mox confugiunt; non enim exanthemata, ſed febrem, cujus ſymptomata efflorescentiæ cutaneæ ſunt, ſanare oporter. Plurimas febres petechiales absque multo labore curatas vidit a *Stollio* celeb. *Cloſſet*, ubi petechiæ ſolummodo tanquam characteriſtica nota febris putridæ conſiderabantur, febris autem ipſa juxta peculiares regulas inferius exponendas ſanata fuerat.

Quarta diviſio ratione complicationis cum aliis morbis. E. g. febris inflammatoria febri putridæ juncta febrem *putrido-inflammatoriam* conſtituit. Hyeme, & ſero autumno, ubi phlogoſes imperium obtinent, hæ febres frequentius obſervantur. Frequentius quoque homines ſanguinei & robuſti temperamenti præ cæteris febribus putridis corripiuntur; aut poſt febres perverſa, aut nimis calefaciente methodo exaſperatas.

Omnium ſæpiſſime febris putrida cum ſordibus primarum viarum complicatur, atque tunc nomen febris putridæ ſaburralis obtinet; talis erat *febris nova Sydenhami*. Si vero ſordes primarum viarum a bile corrupta oriuntur, febris hæc *bilioſo-putrida* apellatur. Connubium hoc maxime per æſtatem,

tem, quæ morborum a primis viis oriundorum feraciſſima eſt, præ reliquis anni temporibus obſervatur.

Hæc febris putridæ ſpecies per æſtatem plerumque variolis & morbillis jungitur, ex quo connubio putridæ variolæ, & putridi morbilli oriuntur. Plurimum intereſt, ut medicus hanc complicationem bene noſcat, non raro enim ob hanc complicationem ab uſitata in variolis regularibus methodo deſiſtendum eſt. In hoc ſcilicet caſu variolarum aut morbillorum vix ulla cura habenda, atque ea tandem methodus adhibenda eſt, quam febris putrida exigit; variolæ enim & morbilli, ſi nulli alii morbi iis junguntur, placide omnino ſolent decurrere. Malignitas autem variolarum & morbillorum febri putridæ, aut aliæ cuidam ſociatæ febri eſt tribuenda.

Hinc tot & tam diverſæ medendi methodi variolis & morbillis malignis. Atque ex hac ratione practicorum de optima malignorum horum exanthematum ſanatione lites facile dirimuntur. Venæ ſectiones enim, purgantia remedia, emetica, antiſeptica & antiphlogiſtica methodus, veſicantia eundem certe in variolis & morbillis malignis uſum præſtabunt, quem certe uſum habuiſſent in

febre putrida variolis hisce aut morbillis ſocia-ta, etiam ſi nulla exanthemata fuiſſent juncta.

Magnam attentionem meretur complicatio febris putridæ cum vulneribus, atque tunc febris putrida vulneratorum apellatur. „Complura exempla habeo, ait *Stollius*, febrium bilioſarum malignantis naturæ lapſum ab alto conſecutarum. Functiones animæ multum inde turbatas ea ipſa medicatio reſtituit, quæ febrim ipſam bilioſam aggreſſa eſt, & illuviem præcordiorum emeto-catharſi exantlavit.

„Scio, in non diſſimili caſu caput trepano fuiſſe perforatum, cum æger a lapſu tenuiter primo, elapſis vero aliquot diebus graviter febriret, & cum mentis emotione. Ubi vulnus comparebat, terebra applicabatur: nil alieni repertum eſt. Æger paucos poſt dies delirus obiit.

Cranio reſerato nihil prorſus vitioſi occurrebat, at magna viſcerum abdominalium ruina, hepatis ſuffuſio bilioſa, inteſtinorum livor, atque necroſis, qualia nempe in febre bilioſa ſolent, & inauſpicata curatione in malignam converſa.

„Alios ex alto delapſos, & mentis impotes quiete ſola, enemate frequente, & iterata phlebotomia ſanavi.

„Quos-

„Quoſdam vero, quorum vulnera ſedulo explorata momenti non magni videbantur, quive mitius in ſpeciem ægrotabant, calvaria, ubi nulla ſuſpicio eſſe poterat, diffiſſa, diffractaque, & effuſus in baſin cranii, & in anfractus cerebrinos ſanguis ſuſtulit.

„Adeo ſubinde difficilis, atque ambigua diagnoſis eſt, an in lapſu ab alto encephalon idiopalhice, & quonam vitio laboret, an vero commotum ſyſtema gaſtricum, biliferumque mentem ob quemdam utriusque conſenſum turbet!" a)

a) Stoll. Rat. med. Tom. II. p. 426.

Eadem febris putridæ cum vulneribus complicatio per æſtatem non raro in ægris obſervatur, qui operationem quandam chirurgicam paſſi ſunt. Ob neglectam hanc obſervationem, operatio ſæpe optato ſucceſſu caret; quod tamen caveri poterit, ſi putrida febris ſua methodo curatur.

Vidimus ſæpe orituras ejusmodi febres putridas morbis chirurgicis ſupervenientes, remediis evacuantibus, & liberiori aëris acceſſu, mox ſufflamminatas.

Quinta diviſio petitur partim a tardiori, vel velociori progreſſu, partim a ſym-

ptomatibus quibusdam particularibus. Hinc alia eſt febris *putrida ſimpliciter talis*, alia eſt febris lenta nervoſa, ubi nervi affecti magis ſunt, & ubi tardus eſt progreſſus; anæſthæſia enim, tendinum ſubſultus, convulſiones, coma ſomnolentum & vigil ſæpe hanc febris putridæ ſpeciem comitantur.

Etſi hæc partitio non omni modo practica ſit, aliqua tamen attentione medicorum digna eſt. Si enim ſcimus morbum ex natura ſua longum fore, certior erit prognoſis; neque rite factas ſemel indicationes mox cum aliis permutabit, ſi a præſcriptis remediis non illico manifeſta morbi in melius mutatio ſequatur.

Sexta diviſio a gradu morbi, aut a numero ægrorum ex hoc morbo demortuorum deſumitur. Si v. g. febris putrida ad altiorem gradum evehitur, maligna appellatur; ſi autem febris maligna in quodam loco plures homines occidit, febris peſtilentialis vocatur; quod ſi febre peſtilentiali intra breve temporis ſpatium multi homines e vivis tolluntur, peſtis hic morbus dicitur. Peſtis itaque non eſt morbus ſpecificus, ſed gradu tantum a febre putrida differt.

Præ-

Præcipuæ febrium putridarum ſpecies.

Diviſionum præcedenti capite enarratarum nulla diviſionis vere practicæ nomen meretur; neque certe facile eſt febris putridæ, cum ea in diverſas omnino ſpecies abeat, diviſionem practicam condere. Præcipua itaque febris putridæ genera recenſebo, ad quæ aliæ in diverſis ægris obſervatæ febres putridæ facile poterunt reduci.

1) Febris bilioſa non raro ſub nomine febris putridæ comprehenditur. Differt tamen plerumque febris putrida a bilioſa; febris enim bilioſa ſimplex diſtinctas habet remiſſiones & exacerbationes; purgante remedio, aut emetico, prout materia ſurſum aut deorſum turget, facile tollitur, aut ſaltem infringitur, atque æger tertia aut quarta die non raro ſanatur.

Subinde vero febris bilioſa mox in initio vehementior eſt, neque aut exacerbationes aut remiſſiones manifeſtas habet, ſed uno tenore pergit, aut per vagas tantum exacerbationes incedit. Tunc autem febris hæc non ſimpliciter bilioſa vocatur, ſed febris putrida cum ſaburra primarum viarum; ubi ſcilicet ſaburra *varia* aut febrem produ-

cit, aut natam aliunde ita nutrit, ut, ea non educta, febris non ſanetur.

Naſcitur in annonæ charitate, victu duro, farinaceo, indigeſtibili, inter infimam plebem.

Cognoſcitur tum ex prædictis cauſis præcedentibus, cum etiam ex lingua immunda, glutinoſa, ventriculo & abdomine elato, ponderoſo, temulentia magna, ſine magna tamen pulſuum a naturali rythmo alteratione; ſæpe petechiæ lenticulares adſunt; urinæ ferme naturales. Febris hæc cæteris putridis videtur eſſe frequentior.

Saburram *variam* dixi. Nonnunquam enim eſt bilioſa *acrior*; ſi nempe in febre ſimplici bilioſa, altero ejus ſtadio præſente, utut turgentem non evacuaveris ſaburram, ſed reliqueris intus, aut ſponte motam, opio, adſtringentibus &c. cohibueris; non infrequens error; tunc febris bilioſa abit in putridam ſaburralem.

Nonnunquam ſaburra putrida eſt ſimul *verminoſa*. Verminoſa ſaburra adeſt modo ut *cauſa febris*, modo ut *effectus*, qui febrim auget, irregularem reddit, & abnormia ſymptomata producit; peculiaris quoque medela tunc requiritur.

Non

Non infrequenter obſervatum eſt etiam in noſtris ægris vermes per os & anum ſecedere putrida decumbentibus. Subinde integræ epidemiæ *verminoſæ* graſſantur, quæ quidem apud nos raræ, ſi unquam viſæ ſunt, & magis cadunt in eas regiones, ubi vini inter populum penuria, ubi victus crudior eſt, & vermibus opportunior.

Cum putrida ſaburralis verminoſa peculiaria ſymptomata habeat, juvabit illa hic exponere.

Plerumque validus mox eſt ad frontem dolor in initio febris putridæ, cum pupillæ dilatatione, viſus obſcuratione, aurium tinnitu, narium pruritu, vertigine, narium ſtillicidio; dolores validi, ſed vagi lumborum, artuum, abdominis, laterum. Tuſſis inanis, vaga. Ptyalismus, ſtridor dentium, riſus ſardonius, deliria vaga, animi etiam repentina deliquia. Seceſſus fœtidi, mucoſi, verminoſi, levantes. Pulſus omni modo & varie inæqualis. Subinde temporaria artuum & colli rigiditas; ſubinde leves, etiam graves convulſiones; oris halitus velut aceti vappidi; talis etiam ſudor.

Univerſim: ſi multa, vaga, ſine manifeſta cauſa accedentia, iterumque recedentia ſymptomata, febri putridæ alias non conſueta,

 ſueta,

ſueta, ſed potius nervoſa videris, prudens eſt verminoſæ febris ſuſpicio, quæ vermibus conſpectis confirmatur.

Nonnunquam febris putrida ſaburralis ſaburram habet *pituitoſam*. Dignoſcitur a prius nominata ſaburra selbilioſa per ſequentia. Lingua alba, glutinoſa, osque totum glutine obductum, urinæ tenues, aquoſæ; calor mitior, quam in bilioſo-putrida; pulſus minus incitati, ſed ſimiles fere naturalibus; febris decurſus ad ſpeciem mitior, tardiorque. Noſcitur ex febre pituitoſa, ſeu lenta nervoſa, cujus ſolum major gradus eſt, ſeque habet ad lentam nervoſam, uti putrida bilioſa ad ſimplicem bilioſam.

Sero autumno & hyeme ſæpius, tempore nempe frigido & ſimul humido, frequentius obſervatur. Item in annonæ charitate, & inter infimam plebeculam, cum prior etiam alias hominum conditiones promiſcue infeſtet.

Hæc quoque ſæpius ſimul eſt verminoſa.

2) *Altera ſpecies* febris putridæ eſt febris *bilioſa ſimplex* in putridam degenerans. Si nempe febris bilioſa ſimplex, ſanatu plerumque facillima, perverſa methodo curatur; dum neglectis evacuationibus ſurſum deorſumve faciendis, calefacientia medicamenta

exhi-

exhibentur. Hæc febrium putridarum ſpecies his ſignis internoſcitur: Ex febre continua fit remittens, & vehementius ægrum tenet, lingua aut ex parte, aut tota omnino ſicceſcit; pulſus plenus, durus; functiones corporis, capitis præcipue, magis læſæ; facies rubra, delirium validum; varia cutis exanthemata; inflammationes primarum viarum, aut etiam thoracis, ſanguis tunc forte e vena miſſus cruſta livida obtectus, ſerum flaveſcens aut vireſcens.

Hæc putridæ febris ſpecies methodo antiphlogiſtica ſanatur, venæ ſectione ſcilicet parca, ſubinde repetita, potu multo diluente, refrigerante, acidiuſculo, & emetico remedio ſerius forte exhibendo, fracta ſcilicet, quam calidior medendi methodus excitaverat, ſanguinis inflammatione, præſentibus tamen adhuc reſtitantis ſaburræ ſignis, at rarior plerumque eſt emeſin ciendi opportunitas, ſordibus nempe copioſo potu dilutis, atque ſenſim ſine ſenſu per alvum eliminatis.

Hæc febris putrida cum inflammatione ſociata, ſeu inflammatorio-putrida aggreditur plerumque juvenes robuſtos, plethoricos, tempore tali, ubi aut epidemiablioſa in inflammatoriam mutari incipit, aut hæc in illam; item ſi biliofam ſimplicem mox in

ini-

initio nimium ſtimulantibus, antiſepticis, camphora, contrayerva, ſerpentaria, cortice, veſicantibus tractaveris.

Inflammatio ſubinde mox initio febri bilioſæ commiſta eſt, tuncque non difficulter cognoſcitur. At difficillima ſæpe diagnoſis eſt, ſi *ſerius* accedat. Cognoſcitur pulſu, parvo quidem, attamen vibrante, duroque inſtar chordæ ferreæ, tenſæ; doloris ſigna edit æger ad attactum abdominis, etſi deliret, aut ſtupidus jaceat; facies prærubra & lingua exareſcens; reſpiratio parva, obtutus fixus, & oculi immobiles, niſi ad attactum abdominis; vomitus aſſumptorum, abdomen tympaniticum dolensque valde; gangræna & mors.

3) *Tertia febris putridæ ſpecies* ex alia febris bilioſæ degeneratione, priori tamen recte oppoſita, origines trahit. Ea nempe putridarum ſpecies, quæ ex febre bilioſa ſimplici, venæ ſectionibus nimiis, nimioque potu emolliente oritur.

Degeneratio hæc vario medicorum errori debetur. Medicus enim ſubinde neglecto accuratiori morbi examine, ſola pulſuum & caloris exploratione contentus, febrem bilioſam, quam inflammatoriæ indolis eſſe exiſtimabat, methodo antiphlogiſtica aggreditur.

ditur. Alii quodcunque præternaturale caloris augmentum venæ ſectione extinguere ſatagunt, atque ideo, cum in bilioſa febre ſæpe ingens æſtus urgeat, largiter ſanguinem educunt. Calor equidem ſecta vena ad aliquod tempus reſtinguitur, at brevi idem, qui prius aderat, caloris augmentum, unde ex eadem cauſa ad iteratas ſanguinis miſſiones ſeduci ſe ſinunt.

At ſi febris bilioſa ſimplex evacuationibus ſanguineis tractatur, neglecta humoris biliformis per primas vias evacuatione, febris putrida orietur, quam *febrem bilioſam methodo antiphlogiſtica in putridam converſam dixeris.*

Præſente hoc rerum ſtatu, viribus ægri venæ ſectione exhauſtis, conveniunt remedia analeptica, antiſeptica, decoctum florum arnicæ, infuſo-decoctum radicis arnicæ, decoctum corticis peruviani. Subinde, pro varia virium vitalium debilitate, remediis magis excitantibus opus eſt, e. g. radice contrayervæ, angelicæ, radice ſerpentariæ, camphora &c., atque majori virium ruinæ veſicantibus & vino proſpiciendum. Univerſim in hac febris putridæ ſpecie roborans & antiſepticus remediorum apparatus indicatur. Cum itaque medici methodum anti-

antiſepticam tanti uſus eſſe in hac putridæ febris ſpecie obſervaverint, hanc ſanandi rationem, quæ ſcilicet tota in antiſepticorum uſu verſatur, male ad omnes alias febrium putridarum ſpecies curandas traduxerunt.

Quarta etiam febrium putridarum ſpecies medicorum erroribus non raro debetur; febris nempe bilioſa intempeſtivo purgantium uſu in putridam converſa.

Sunt enim medici, qui mox, ubi forte bilioſam febrim conſpiciunt, purgantia remedia exhibent, etſi ratio & experientia emetici potius exhibendi neceſſitatem imperet, cum falſo ſibi perſuaſum habeant, purgans medicamentum emetici vices poſſe ſubire, aut ob nimiam forte timiditatem, cum ab emeticis tempore non ſuo exhibitis, infauſti ſubinde effectus fuerint obſervati.

At quid boni ab hac methodo exſpectandum? longam eſſe nimis per canalem alimentarem viam, cuivis ex anatome conſtat. Id quoque omnes novimus, materiam peccantem in ventriculo hærentem purgantibus remediis haud commode e corpore eliminari poſſe, ſed per longum inteſtinorum tractum potius circumduci, vaſorum abſorbentium parietibus applicari, atque in humorum maſ-

ſam

ſam tranſire; quæ tamen materies unica emeſi aptius fuiſſet eliminatæ.

Legimus utique, purgantia ſic dicta antiphlogiſtica in febribus bilioſis optimo cum effectu fuiſſe exhibita, at hoc in iis tantum caſibus accidit, ubi materies infra turgebat, atque exitum moliebatur.

Materia deorſum turget, ſi inferius reſidet, ſponte exitum molitur, ſi os non amareſcit, neque cardiæ regio intumeſcit; ſed lumbi præcipue dolent, alvus diarrhæica cum levamine, & borborygmi adſunt.

Hæc quoque febris bilioſæ in putridam mutatio locum habet, ſi remedium emeticum in purgans abit, quod ſubinde ex errore ægri, ſubinde ex errore medici accidit.

Si enim æger mox poſt exhibitum emeticum, copioſos, aquoſos, tepidos potus affatim hauſerit, fracta vi emetica æger purgatur.

Solent etiam quidam medici in initio febris bilioſæ, præſente diarrhæa ſaburrali, quæ ſubinde in hoc ſtadio obſervatur, emeticum exhibere. Sed ſæpius vidimus in noſocomio præſentem diarrhæam a dato emetico adeo non fuiſſe adhibitam, ut inde copioſior etiam alvus flueret. Durante hac diarrhæa emeticum ſuas vires haud exſerit,

ſed

ſed in purgans mutatur, atque ita febris biliosa in putridam tranſit.

Hæc itaque practicorum regula limitanda eſt. Etſi enim emeticum, præſente etiam mitiori & inchoante diarrhæa, tuto exhiberi poterit, ſi indicatio urgeat, copioſa tamen & frequens diarrhæa id genus remedii prohibet, utpote non emeſi, ſed largiore alvi fluxu ſubſequente.

Hæc febris putridæ ſpecies analepticis remediis, & præcipue radice arnicæ ſanatur. Quodſi vero fractæ inepta medicatione vires remediis hisce fuerint erectæ, emeticum felici cum eventu datur. Hæc medendi methodus, qua hanc febris putridæ ſpeciem ſanamus, ad alias putridarum ſpecies infauſte transfertur.

5) *Quinta* ſpecies febris putridæ eſt febris bilioſa in putridam converſa. Aliqui enim medici nimis largi ſunt in præſcribendis emeticis, atque ad quamlibet linguæ ſorditiem, aut amaritiem oris, emeſin repetunt; qua tamen intempeſtiva emetica exhibendi ratione vires vitæ corruunt, & febris putridæ ſpecies oritur.

Id interim certum eſt, etſi dato emetico lingua impura maneat, os amareſcat, & magna copia ſordium bilioſarum e ventricu-

lo

lo rejecta ſit, tamen ob ſolas has notas novum emeticum non indicari. Repetitis enim in noſocomio obſervationibus conſtitit, poſt exhibitum emeticum linguam impuriorem ſæpe redditam, os magis amarum factum fuiſſe, imo ſymptomata hæc repetita emeſi vehementiora exſtitiſſe; non raro autem leni ſolventium, acidulorum, eccoproticorum uſu, tamarindis, cremore tartari &c. ſenſim disparuiſſe.

Id ſequenti modo videtur contingere: irritato nempe ab emetico remedio, univerſo ſyſtemate gaſtrico, atque ipſo etiam pharynge & œſophago, humores majori copia affluunt, atque ipſa etiam bilis copioſius ſecernitur. Præterea muci etiam in ſtomachum, œſophagum & fauces major affluxus. Hinc major linguæ impuritas, hinc aſſiduus oris amaror, vomitusque.

Quando ergo in febribus bilioſis emeticum repetere oportet? quandove periculum tranſitus hic febris bilioſæ in putridam ob repetitam emeſin abeſt? Id ipſo artis exercitio melius utique, quam doctrina addiſcitur. Interim dicam, quæ in genere notanda ſunt. Sub morbi initium, corpore prius ad id parato, in homine robuſto, plethorico, febre valida, at ab emetico exhi-

bito inſigniter fracta, unica emeſis plerumque ſufficit. At repeti emeticum debet: ſi æger fœmina, florem ætatis transgreſſa; ſi febris non repente ægrum prehendit, ſed a longo tempore præcurſoria habuit ſymptomata; ſi anni tempus non bilioſum, non æſtas, ſed ver aut autumnus ſit; ſi materia morbi nondum mobilis, ſed tenax, & glutinoſa; ſi ſaburra bilioſa haud nuper generata, ſed recidivans; tunc utique repetitis emeticis opus eſt. Hæc febris putridæ ſpecies remediis ſtomachicis, cortice peruviano &c. ſanatur.

Vidi ſæpius linguam impuram profligata etiam febre talem perſtitiſſe, neque emeticis, neque ſolventibus, ſed continuato roborantium uſui tandem ceſſiſſe.

6) *Sexta* ſpecies febris putridæ eſt febris inflammatoria in putridam degenerans. Fit enim non raro, ut febris inflammatoria in corpora impura, ſcorbutica, ſiphilitica, aut alia quacunque acrimonia infecta incidat; atque in hoc caſu fracta venæ ſectionibus & emollientibus remediis phlogoſi, acris jam prius inhærens ſtimulus extricatur, atque putridam febrem producit. Febris hæc eadem methodo ſanatur, quam

in

in ſequenti putridæ febris ſpecie adhibendam eſſe docebimus.

7) *Septima* tandem febris putridæ ſpecies incognitæ naturæ eſt, atque ab incognita humorum degeneratione oritur. Huc illæ febres putridæ pertinent, quæ initio neque inflammatoriam, neque bilioſam indolem præſetulerunt, neque a præcedente proximiori cauſa poſſunt derivari. Anomala hæc humorum degeneratio ex diverſis plane cauſis proximis originem trahere videtur.

Omnis morbus, ſeu acutus, ſeu chronicus, triplici modo ſanatur.

1) Removendo cauſas morborum.
2) Methodo ſpecifica.
3) Methodo ſymptomatica, ſeu indirecta.

Prima methodo ſanantur morbi, ſi cauſa morbi certis notis manifeſta talibus remediis tollitur, quorum vires & effectus medicus certo prævidet. Optima hæc utique eſt medendi methodus. Cum autem cauſa neque ſemper certo cognoſci, neque ſi noſcatur, propterea tolli poſſit, patet, non ubique huic ſanandi methodo locum eſſe.

Methodus ſpecifica tunc adhibetur, ſi cauſa morbi equidem ignoratur, at tamen

felici experimento remedium quoddam detectum ſit, quod cauſam hanc morbificam, utut nobis incognitam, poſſit evertere. Ita cortex peruvianus febrem intermittentem, mercurius luem ſanat.

Fruſtra aliquis ſpecificum contra febres putridas remedium quæſiverit, ita enim diverſus in diverſis corporibus morbus eſt hæc febris, ut de eo remedio inveniendo omnino cogitandum non ſit.

Methodus ſymptomatica & indirecta tunc locum habet, ubi cauſa ignoratur, neque ſpecificum contra hanc cauſam remedium innotuit. In hoc caſu morbus ſolis naturæ medicatricis viribus relinquendus eſt. Hæc methodus in eo verſatur, ut impedimenta ſanationis removeat, vires exorbitantes reprimat, languentes excitet, devias reducat, atque omnibus excretionibus ita proſpiciat, ut nec profuſæ nimis, nec nimis parcæ ſint.

Hæc methodus in febre putrida originaria adhibenda eſt. Cauſa enim hujus febris nos latet, proinde utraque præcedente methodo morbi ſanatio haud eſt poſſibilis. Hæc præcipua ſunt febrium putridarum genera; atque hæc diviſionis practicæ vices ſubire poſſunt, ut mihi equidem perſuadeo,

cum

cum omnes in quibuscunque ægris obviæ febrium putridarum ſpecies ad hæc genera commode poterunt reduci; atque cognita ſemel febris putridæ ſpecies determinatas medico indicationes ſuppeditabit.

Quodſi itaque ad ægrum febre putrida correptum accedimus, 1) inquirere oportet, an illa ſymptomatum collectio adſit, quæ febrem putridam ſolent comitari, ne forte biliofam ſimplicem, aut inflammatoriam febrim pro putrida habeamus. Mordax enim ille calor, virium dejectio, febris continuitas, pulſuum mollities, ſitis, aliaque ſymptomata de præſentia febris putridæ nos admonebunt. 2) Signis his in unam ſummam collectis, videamus, an hæc putridæ ſpecies febris bilioſa intenſior, aut neglecta, aut calefacienti methodo in putridam converſa bilioſa ſit. 3) An ſit febris bilioſa purgantibus nimiis in putridam converſa. 4) An febris bilioſa methodo antiphlogiſtica in putridam mutata, 5) an nimiis emeticis in putridam converſa; 6) an inflammatoria in putridam converſa, 7) an originaria putrida. His perſpectis facile apta medendi methodus detegitur, varia ab auctoribus in febribus putridis remedia ad certa genera reducuntur, practicorum lites dirimuntur, at-

que dubia hinc inde in ſcriptis medicorum perlegendis obvia ſolvuntur.

Exitus febris putridæ in ſanitatem.

Primus morbi in ſanitatem exitus evacuatio eſt gaſtrica, diarrhæa ſcilicet, non profuſa, ſed moderata, virium ruinam non accelerans, & ſudoribus allevantibus ſtipata, capitis interim & ſenſuum functionibus reſtitutis.

Univerſim in febrium putridarum progreſſu triplex alvi fluxus obſervatur. Prima diarrhææ ſpecies a ſaburra primarum viarum ſolventibus atque evacuantibus in initio morbi remediis non eliminata, impetuoſe exitum moliente oritur, cum meteoriſmo abdominis; quæ tamen diarrhæa vires plurimum atterit. Altera alvi fluxus ſpecies materiam peccantem ſenſim ſine ſenſu educit, magno cum ægri levamine. Tertia ſpecies omnium maxime infauſta eſt, utpote quæ non a ſoluta & accumulata morbi materia, ſed a gangræna tubi alimentaris oritur, unde viribus reſolutis nil amplius in inteſtinis retinetur. Idem febris putridæ exitus arte conciliatur, materia nempe billioſo-

putri-

putrida remediis ſolventibus & eccoproticis eliminata.

Alter exitus febrium putridarum ſudor eſt, ſi nempe cutis prius arida humectari incipit, & ſudor per univerſum corpus æquabilis prodit, cum inſigni ægri levamine.

Tertius modus, quo febris putrida terminatur, miliaria ſunt, ſeu *alba*, ſeu, quod magis optandum, *rubra*. Utplurimum miliaria alba rubris intermixta ſunt. Interim id certum, non tam miliari exanthemate, quam ſudore, qui miliaria ſolet comitari, febrem putridam judicari.

Quartum judicationis modum aphtæ conſtituunt; de quibus infra inter ſymptomata febrilia longior erit diſſertatio.

Quinto ſalivatio nonnunquam febrem putridam finit. Vidit *Stollius* poſt febrem putridam malignam fluxum ſalivæ per tres ſeptimanas diu noctuque durantem.

Sextus febris putridæ exitus eſt urina jumentoſa, brevi hypoſtatica facta. Urina nempe parca prius excreta, copioſe nunc prodeuns.

Interim notandum eſt, febres putridas rarius unico evacuationis genere terminari, ſed pluribus ſimul viis id contingere. Sæpius enim obſervatur, morbum alvi fluxu,

ſudoribus, urinis, & ſalivæ fluxu ſimul judicari.

Singularem attentionem merentur arenulæ in lotio apparentes, quas in febribus putridis ut optimum ſignum prognoſticon *Tichy* & *Klinkoſch* obſervarunt. Talem febris putridæ hiſtoriam *Tichy* peculiari diſſertatione deſcriptam nobis reliquit a).

a) *Tichy* diſſ. inauguralis medica de arenulis in lotio apparentibus, ut infallibili ſalutaris morborum eventus ſigno prognoſtico. Pragæ. 1774. Exſtat etiam in Collectione diſſ. Prag. a *Klinkoſch* edit.

Occaſionem hæc decidendi, quam maxime ſuppeditavit Epidemia anno 1771 & 1772 craſſiſſime apud nos, perque totam fere Germaniam, diffuſa; ad quam corpora diſpoſuit conſtitutio aëris ab aliquot annis continuo humida; occaſionemque excitavit viciſſitudo ſubitanea inter calorem & frigus humiditate ſemper exiſtente. Quo acceſſit penuria annonæ & caritas, & ex ea orta neceſſitas victu inſueto utendi, increſcens depaſcensque fames &c. per quæ quidem potius promovebatur ac ſuſtinebatur Epidemia: quod ex eo patet, cum ditiores ab ea plerumque perſtiterint immunes.

Morbus non eadem, ſed ſecundum variam ægri conſtitutionem & occaſionem da-

tam

tam diverſa ſe oſtendebat facie, diverſæque etiam indolis erat: quosdam ſubito cum dejectione ſubita virium invaſit; alios lento pede adgreſſus, auctus tandem graviter die octava vel nona morbi. Quosdam ſub larva febris catarrhalis, aut rheumaticæ, quandoque etiam cum acrioribus artuum doloribus, alios ſub ſpecie febris intermittentis varice, quosdam longe alia facie adgreſſus eſt. In quibusdam erat a principio impuritas primarum viarum ex cacochylia collecta, quæ iterum in quibusdam erat fomes, ſeu cauſa materialis manifeſta, in aliis demum nullum in febrim exercuit imperium, neque expulſa febrim infregit; in aliis fomes, ſeu cauſa materialis mali in ſanguine, nullo vitio in primis viis apparente, hærebat. In quibusdam materies ſordida in ſanguine nata ſubito cum horrore in principio morbi ad primas vias deferebatur, quæque colluvies iterum non ejusdem, ſed diverſæ obſervabatur indolis.

Febris plerumque erat putrida, verum nunc cum propenſione plus minus in putredinem, nunc cum phlogoſi, quandoque magna complicata, nunc cum lentore glutinoſo, ſumma nervorum adfectione, pulſu vix febrili decurrens; nonnunquam in aliis cum

tanta virium proſtratione, pulſu vix febrili decurrens; nonnunquàm in aliis cum tanta virium proſtratione, pulſu obſcuro, aut validioribus excitantibus opus fuerit. Nullus denique ſymptomatum morbi in omnibus ægris conſtans apparatus, neque idem ſuccedens ordo eorum & ſeries, ſed omnia hæc in diverſis ægris diverſa erant a).

Neque ideo generalis ſtatui ſecure potuit methodus medendi; aliis venæ ſectio, aliis emetica, aliis purgantia profuerunt, quibusdam obfuerunt, neque in ulteriori morbi decurſu omnibus methodus antiphlogiſtica, nitroſa; aliis antiſeptica, aliis cardiaca excitantia, aliis cardiaca nutrientia &c. palmam eripuerunt.

Ter-

a) Ut v. g. horripilatio, cephalalgia, vomitus, ſitis, ſiccitas, & impuritas oris, anxietas præcordiorum, lypothymiæ, diarrhæa, dyſenteria, meteorismus, retractio hypochondriorum, vertigo, delirium, rubor roſeus oculorum, tremor ſubſultus tendinum, pulſus frequentia, irregularitas, aliquando etiam ad ſenſum naturalis, reſpiratio læſa, tuſſis, urinæ, excrementorumque adfectiones variæ, exanthemata ſcarlatina (quæ plerumque primis morbi diebus adparebant), miliaria rubra, alba, petechialia, exacerbationes &c., omnia hæc inconſtantia erant.

Terminabatur morbus plerumque die 14ta, 17ma, 20ma, 30ma. Fatalis plerumque erat dies 13tia, 17ma. Iis vero, quos morbus magna vehementia, & ſubito invaſit, dies ſexta, vel nona. Solvebatur autem multis ſine ulla evacuatione notabili obſervata, quibusdam ſudore, aliis vomitu aut diarrhæa, aut dyſenteria; aliis urina copioſa, pallida; in aliis exanthematibus, petechialibus, miliaribus, in aliis aphtis, in uno alterove metaſtaſi ad parotides, aut aliquando ad partes muſculoſas, aut ad extremitates inferiores, aut ad ſcrotum facta, exulcerationem, vel gangrænam his partibus inducente; quæ metaſtaſis ad viſcera decumbens occidit ſubito.

In tanto numero ægrorum hoc tempore ſe offerente, non rarum erat obſervare arenulas, non quidem in omnium, ſed multorum urinis, nunc flavas, nunc ruffas, nunc rubras, nunc ſubalbidas, micantes.

Subalbidæ, pellucidæ, micantes, ſpiculorum tenuium, nivisve inſtar, aut in urina fluctuantes, aut lateribus, ſuperficieive inſidentes reperiebantur, quantum obſervatio hucusque docuit, tantum in urinis eorum, qui febre cum ſumma propenſione in putredinem corripiebantur, quam maxime,

me, ſi exanthemata, v. g. petechialia, ſcarlatina, miliaria b), ſi aphtæ, ſi dyſenteriæ ei ſe aſſociabant, conſpici poterant, & quidem die jam aliquando 8vo, 10mo, 12mo, etſi morbus 20mo, 30mo, aut tardius terminaretur; verſus finem vero morbi omni die ſe offerre ſolebant: ita ut, quum coctione incipiente, & ea progrediente uberiores exſtiterint, non ſolum ſignum ſalutare prognoſticum, ſed & ſignum ſecuriſſimæ coctionis inchoatæ, exhibuerint.

Arenæ flavæ, ruffæ, rubræ in his iisdemque, aliis etiam febribus, etiam in morbis chronicis, apparentes ſpem quidem cum reliquis bonis ſignis exiſtentibus augebant, ſed non indubitate, multi enim iis apparentibus perierunt c).

Ve-

b) Etiam in morbillis, variolis cum febre putrida complicatis.

c) Eadem fefellerunt Ill. de *Haen*. Ejusdem quoque farinæ fuiſſe videntur arenulæ, quas in lotio ægri, febre autumnali maligna decumbentis, tandemque mortui, conſpexit Ill. *Morgagnius* Epiſtol. 49. Art. XXI. Poſſunt quidem bonum ſignum cum aliis bonis ſignis, etiam quandoque in putrida febre eſſe; talis ſeparatio enim rudimentorum calculi nativi, aliarumque arenularum citius ſolito contingens, docet mutationem ali-

quam

Verum ex iis, in quorum urinis arenulæ albæ, ſplendentes, pertenues videbantur (non enim omnes febre putrida correpti, & in integrum etiam ſanati eas ſuggerebant) nullus periit, peſſimis licet quandoque ſymptomatibus, & quoad apparentiam lethalibus exiſtentibus, licetque æger quandoque moribundus, ſtertens, jamjam exſpirans videretur omnibus d). Iterum licet febri alius ſuc-

quam factam fuiſſe in humoribus corporis animalis, qua moleculæ quædam ab aliis ſeparari, aliæque evolvi incipiant. De iis vero, qua ratione ſignificent, ac prognoſticent, nulla eſt hujus loci indago.

d) „Nam poſtridie, quam febris, uti dictum eſt, non-nihil ſe intenderat, aſſiduæ de ſiti querelæ, & facies ac pedes tumentes, & venter ſuper umbilicum ſe æquali tumore attollens, ſimul inſtare hydropem, ſimul adeſſe, oſtenderunt. Qui porro adeo confeſtim increvit, ut quamquam urinæ, me quoque leviter adjuvante, non paucæ erant, & mox vel magis profluebant; tamen non modo ſiti ſemper vehementiori facta, & aquoſo tumore ſub univerſam cutem extendente, ſed & ſicca tuſſi, eoque infeſtiore, quod decolor ſanguis vel per ſe de naribus ſæpe prodibat, & difficili reſpiratione cum ſtertore, viriumque ac pulſus infirmitate ægrum urgente, eo res intra quinque, haud amplius, dies deducta eſſet, ut, loquendi etiam facultate amiſ-

ſa,

ſuccederet morbus, morbum hunc deuteropathicum levem, facileque a natura ſuperandum indigitabant e).

Exitus febris putridæ in alios morbos.

Febres putridæ in initio neglectæ, aut perverſa methodo tractatæ, aut ob peculiarem conſtitutionis epidemicæ genium metaſtaſi materiæ morbificæ in alios morbos ſolent deſinere.

Hæc autem materies non unam eandemque ſemper indolem præſefert, nunc enim ſeroſus latex eſt, modo puris ſpeciem refert, aut ſphaceloſa corruptione notatur. Ad loca etiam diverſa morboſus humor transfertur, ut encephalum ipſum, glandulas, parotides præ-

ſa, pro depoſito, & jammjam morituro ab omnibus haberetur." *Morgagni* Epiſt. 8. Art. X. Obſervationem fere ſimilem nobis communicavit Clr *Klinkoſck* factam in juvene illuſtriſſimo, febre miliari putrida cum aphtis, & miliaribus graviſſime laborante, viribus lapſis jam ſtertente, & facie inique mutata, ab adſtantibus pro morituro, jam derelicto. In his tamen ſpes in ſolis eorum lotii arenulis ſalinis micantibus hærens non ſefellit.

e) Morgagni Epiſt. 49. Art. XXI.

præcipue & ſubmaxillares, pectus, hepar, inteſtina, extremitates inferiores, atque ipſa etiam oſſa petat, eventu vario, pro varia materiæ quantitate, corruptela, partisque obſeſſæ ad vitæ functiones peragendas neceſſitate.

Tales autem abſceſſus ſubinde repente oriuntur, plerumque autem tales materiæ migrationes ſigna quædam ſolent præcedere, quæ medicum de eventu morbi admonent.

Signa autem metaſtaſin præcedentia ſunt diuturnitas & gravitas morbi, urina interea clara permanens, ſubitum febris decrementum absque notabili excretione, & quandoque obſervata epidemica morbi pronitas ad hanc terminationem a).

a) Celeb. Bang. Praxis medica. p. 73.

Notabiliores quosdam metaſtaſium caſus ex diario celeberrimi viri adducam.

1) Putridæ febris manifeſtis ſymptomatibus apud juvenem viginti annorum, quinta fere hebdomade evanidis, & reverſo aliquali appetitu, ſponte oriebatur diarrhæa magis magisque dolorifica, nullis remediis compeſcenda, & poſt octo dies lethalis. Aperto cadaveris abdomine, inteſtina partim

tim cum peritonæo, partim cum ſe invicem coalita, cruſta purulenta obducta, per totum tractum inflammata, aut ſphacelo adeo corrupta, ut ſeparationis vi dilacerarentur, ventriculum etiam inflammatum invenimus a).

2) Simili morbo puella 17 annorum afflicta, ſtupida, ſurda, delirans, vehementes quandoque clamores edens poſt quatuor circiter hebdomades ſub inſultu epileptico moriebatur. Diſſecto cranio demortuæ, vaſa & ſinus cerebri ſanguine turgidiſſima reperta fuerunt, ventriculi laterales aliqualem, baſis autem cranii notabilem copiam extravaſati ſeri continebant. Quod ratiocinium probabile reddit, allatæ rationes adhuc certius demonſtrant, ſcilicet duplicem præcipue eſſe putridæ febris effectum, quo mediante mortem inducit, aut metaſtaſin, ut in priori caſu, dum materia morbifica a maſſa ſanguinis ſeparata ad partes nobiles convertitur, easdemque inflammat & deſtruit, vel extravaſationem, ut in poſteriori caſu, dum reſoluti humores effluunt in cavitatibus internis, & comprimendo vel irritando functionem organi vitæ neceſſariam tollunt b).

3) Febris bilioſo-putrida anno 1784 menſ. Octobr. perſonas 39, tredecim modi-

ce,

ſe, viginti ſex gravius afflictas detinuit, impuritates primarum viarum ſolito magis abundabant, crebriore ideo evacuatione opus habentes; repetitionis hujus indicia mihi fuerunt ſigna cruditatum poſt emeſin ſemel inſtitutam permanentia; in plurimis alvus modice laxa obſervabatur, verum indifferenter quoad morbi eventum. Metaſtaſis, & particularis morbi directio ad certas tamen varias corporis partes frequenter occurrebat. Juvenis 16 annorum poſt emeſin bis ob cruditatum abundantiam inſtitutam longiſſima afficiebatur narium hæmorrhagia: toto capite nihilominus tumente, rubente & ardente, adhuc hirudinum uſus requirebatur, diarrhæa ſimul adfuit; utrumque hunc fluxum compeſcuit & prævertit mixtura acida e ſpiritu vitrioli confecta. Apud alterum juniorem ſimilis ſymptomatum complexus, gradu tamen minori, eadem medicina tollebatur. Quinque metaſtaſin ad pectus patientes per ſputum ſalutare evadebant. Apud puellam decimo quarto morbi die obſervatur tumor genæ ſiniſtræ ſenſim adauctus, dein glandulas ſubmaxillares occupans, largam ſalivationem ſecum ducens, & demum in abſceſſum ſub mento notabilem finitus c).

4) Anno 1785 menſe Auguſto, quinque metaſtaſin ad pectus patiebantur, attamen ſervati; tranſitus talis notatu ſat dignus obſervabatur apud virum 25 annorum, putridiſſimo, ut ita dicam, morbo laborantem. Die 17mo pulſus multo minus celer fiebat, ſomnus quodammodo quietus accedebat, & motus convulſivi prægreſſi ceſſabant; die 18vo dolor utriusque pectoris accuſabatur; die 19no dolor concentratus fuit in pectore dextro cum nonnulla tuſſi, pulſuque elevato tenſo; nunc ſanguis bis mittebatur phlogiſticus, camphorata intus propinata, & veſicatorium loco dolenti. Die 20mo ob gradum doloris eundem adhuc bis ſecta fuit vena, hinc dolor evaneſcebat, & per octo ſequentes dies convaleſcere videbatur æger, tunc novum in pectore ſiniſtro querebatur æger dolorem unica venæ ſectione ſublatum, tuſſis autem ſicca cum dyspnœa permanebat ad menſem usque cum intermittente dolore pectoris; tandem diarrhæa oriebatur aliquot dierum levatoria, & poſt hanc expectoratio puriformis, ſub qua ad tres fere hebdomades durante ſanitas ſenſim reſtituta fuit. Materia metaſtaſica ſine dubio non tantum pro parte, quam petit, diverſa, ſed etiam pro varia indole, ſpiſſitudine, vel acrimonia

monia differentes valet producere effectus; metaſtaſis e putridis ad pectus utplurimum ſine prægreſſa inflammatione ejusdem ſeſe exſerit per ſputum puriforme, apud noſtrum rariore, & alio modo res procedebat, nimirum cum manifeſta præcedente inflammatione, lentaque materiæ depoſitæ maturatione & evacuatione, quod cruditati materiæ vix inepte tribuitur; diverſo modo ita agenti metaſtaſi etiam diverſa opponenda eſt medela; uti enim naturam in ſubacto hoſte eliminando phlebotomia debilitare funeſtum foret, ita contraria valet regula, dum manifeſtam inflammationem in parte nobili excitat depoſitum, tunc enim vix aliquid absque venæ ſectione etiam crebrius juxta perſeverantiam doloris inſtituenda ſeparari poteſt, etiamſi debilitas e prægreſſo morbo uti apud noſtrum ſat magna adeſſe videatur d).

5) Anno 1784 menſe Julio febre bilioſo-putrida octodecim laborabant, ſeptem modice evacuantibus ſanati, undecim gravius. Quidam ex hoc morbo diu protracto, cum diarrhæa & meteoriſmo juncto demum convaleſcens, pergebat tamen alvum laxam habere, pulſumque celerem, tenſum; ſuperveniens etiam dolor abdominis me in ſuſpicionem inflammationis induxit, quapropter

bis ſecta vena, & adhibita emulſio camphorata brevi ægrum ſanabant. Alteram in vigore putridi morbi die circiter decimo quarto corripuit dolor pectoris cum tuſſi moleſta, ſputo ſanguineo, pulſuque duro; phlebotomia tunc bis repetita absque incremento primitivi morbi pectus levavit; veſicatorium dein, & ob febrim veſpertinam decoctum corticis peruviani cum radice ſenegæ paratum, & copioſe ingeſtum ſanationem complebant. Præſertim vero mihi memorabilis videbatur juvenis 21 annorum, integro menſe, antequam noſocomium intravit, valetudinarius cum debilitate notabili, vertigine, ſtupore, ſiti, anorexia, lingua ſordida, halitu malo oris, alvo ſegni, pulſu celeri, oculis hebeſcentibus; poſt evacuantia ſolita, exhibui camphoram, corticem, veſicantia, verum ſtatus permanebat idem, nec melior, nec pejor. Nauſeante igitur ægroto diuturnam medicinam, ejusdemque efficaciam ipſe deſperans, ſuaſi ſolum rhenanum vinum quotidie ingerendum, cujus ope appetitus vireſque tam corporis, quam animi ſenſim ad integram ſanitatem redierunt; convaleſcentis quidem crura nonnullus tumor œdematoſus ſine dubio metaſtaticus occupabat, uſu tincturæ rhei aquoſæ fugatus. Non

modo

modo vini rhenani in hoc ægro laudabilis virtus ad materiam morbi, & ipſis naturæ viribus, & aliis roborantibus remediis uſu receptis ſuperiorem vincendam, ſeparandam, & ad partes externas profligandam, ſed etiam ipſius morbi ob indolem ſymptomatum vere putridi habendi rarus & abnormis progrediendi modus, vel potius perſeverantia diuturna in eodem ſtatu, qui alias in putridis multo citius mutari ſolet, obſervatione digna ſunt. Priores vero duo caſus docent, vel confirmant venæ ſectionem in putridis, ſaltem tunc temporis utilem, imo ad majus malum avertendum neceſſariam; dum nobili parti periculoſam inflammationem infert metaſtaſis e).

6) E febre putrida trium hebdomadum vir 35 annorum, ad adſpectum convaleſcens ſubito tuſſi afficiebatur moleſta, initio ſicca, dein cum ſputo purulento; opportunis licet huic febris ſtatui porrectis auxiliis perdurabat tamen tuſſis, decreſcebant vires, jungebatur dispnœa ſenſim major, cum diureſi mox impedita, mox libera, alvoque naturali; demum poſt menſis ſpatium ab initio hujus metaſtaſeos moriebatur æger. Secto cadaveris ventre ſanguinolentum ſerum effluxit; lobus hepatis dexter tam quoad ſu-

perficiem convexam quam concavam lividi coloris erat, ejusque ſubſtantia debito friabilior; inteſtinum colon pro parte nigreſcebat. In utraque cavitate pectoris, imprimis dextra, largum ſerum ſanguinolentum aderat; ambo pulmones in parte poſtica inflammati, liquor pericardii copioſus. Non raro obſervavi materiam morbificam in febribus putridis ſcorbuticæ eſſe indolis, quæ in uno alterove membro externo depoſita tumorem cum maculis lividis ſcorbuticis produxit: probabile eſt, materiam metaſtaticam in noſtro ægroto ejusdem fuiſſe naturæ, quæ vero ad viſcera mobilia conjecta læſiones illorum funeſtas generavit f).

7) Cuidam anno 1783 menſe Octobris per aliquot hebdomadas ex febre putrida ægrotanti ſupervenit tumor unius parotidis, ſub uſu cataplasmatis emollientis ſenſim absque ſuppuratione evaneſcens; verum veſicatoria tam in nucha, quam in brachiis applicita, largiter interea & diu ſuppurabant, quo auxilio periculum e retrogreſſa materia metaſtatica ſine dubio averſum fuit, & æger fauſte evaſit. In duobus ſub decreſcente morbo oriebatur tumor dolens, rubens, in criſta oſſis tibiæ, apud alterum unius, apud alterum utriusque cruris; a promovenda ſup-

pura-

puratione timebatur læſio oſſis, hinc unguentum neapolitanum applicitum fuit, ope cujus tumor ablatus ſenſim absque ſequenti noxa ſolutus & diſſipatus fuit; nonnulli metaſtaſin ad pectus patiebantur g).

8) Febris putrida inſignis gradus apud juvenem 26 annorum jamjam in decremento erat, cum ſubito decimo ſeptimo die ſupervenerit inſignis dolor punctorius pectoris dextri cum tuſſi, expectoratione mucoſo-ſanguinea, dispnœa enormi, pulſu duro, genis rubeſcentibus; poſt triplam venæ ſectionem, veſicatorium pectori applicitum, emulſionem camphoratam dolor miteſcebat, dispnœa autem continuabat cum intercurrente vomitu, increſcente debilitate, tuſſi, quæ tamen ultimis vitæ diebus ſiluit; decimo quarto die poſt aggreſſos dolores pectoris exſpirabat æger. In aperto cadaveris abdomine nil præternaturale erat, niſi ſitus hepatis, qui juſto magis depreſſus erat. Inciſo pectore dextro effluxit enormis copia ad aliquot menſuras fluidi purulenti, quod totam cavitatem pectoris dextri implere reperimus, ita ut modo minima pars pulmonis ſuperſtes fuerit h).

9) Febris putridæ ſymptomata apud fœminam 38 annorum decimo quarto die ceſſa-

bant ſub exorto dolore pectoris, ſcapulæ & brachii dextri; poſt veſicatorii ibidem appliciti effectum loco doloris mox evaneſcentis oriebatur febris typi quotidiani, poſt cujus paroxysmos tres ſat regulares dabatur cortex peruvianus, inſequenti nychtemero febris triplex recurſus levis, poſtea autem nullus obſervabatur; biduo vero præterlapſo dolor iterum pectoris dextri acutus ſentiebatur absque celeritate pulſus; e vena nihilominus, quantum vires permittebant, ter educto ſanguine phlogiſtico, aliisque remediis convenientibus applicitis, pectoris tamen affectio permanebat oppreſſoria cum tuſſi ſicca, decubitu intolerabili in utroque latere, virium decremento & dispnœa, quæ die decimo nono poſt ultimum doloris pectoris acceſſum ad gradum lethalem perveniebat. Aperti thoracis cavitas dextra pure tenui flavo-virideſcenti, odoris valde fœtidi, prorſus erat impleta, ita, ut ne minimum quidem veſtigium pulmonis dextri inveniri potuerit; hepar admodum profunde in abdomine depreſſum, ejusve lobus major ſuperficiem ſuperiorem loco convexæ concavam habuit; qui ſitus ſat manifeſte ab extravaſato pectoris diaphragma deorſum urgente productus erat. Læſio hæc pectoris notabilis ortum

duxit

duxit a materia metaſtatica, quæ teſtante recurſu doloris ſine dubio inflammationem reduplicatam, & mediante hac adeo totalem ſuppurationem procreavit; periodica ſub hoc actu aggreſſa febris merito puri reſorpto tribuenda eſt; illam vero haud poſtea rediiſſe, corticis ſpecificæ virtuti contra nervorum mobilitatem debetur. Præſertim autem notanda, & hoc caſu commonſtrata veritas eſt, integra reſolutio & ſuppuratio alterutrius pulmonis; quis enim tantam deſtructionem viſceris numeroſiſſimis & maximis vaſis compoſiti absque cito funeſta hæmorrhagia crederet poſſibilem? Quis non mirabitur ſingulare ſuppurationis opus, vi cujus vaſa majora, quorum ſolutio lethalis fluxus periculum habere videtur, ſucceſſiva, & haud comprehendenda ratione adeo mutantur, ut absque effuſione contenti ſanguinis in maſſam puris homogeneam converti queant i)?

10) Anno 1738 menſe decembri febrisullioſo-putrida 20 perſonas, quinque modice, reliquas graviter afflixit. Tuſſis cum expectoratione morbum apud quinque ægrotos finivit; in duabus febri decreſcenti & ceſſanti ſuccedebat dolor crurum ſenſim & ſponte evaneſcens; alteri harum imprimis digiti pedum ſimul exulcerati dolebant. Qui-

dam pro metaſtaſi habebat tumorem utriusque cruris maculis ſcorbuticis notatum, gingivis dentium tamen illæſis. Tres moriebantur; quidam ſuſurrum capitis inveteratum ante morbum, & lethalem huc verſus ſub morbo congeſtionem paſſus, alter ob impeditam expectorationem, tertia ob ſphaceloſam metaſtaſin valde latam utriusque femoris k).

Univerſim de metaſtaſi febrium putridarum ſequentia *Bangius* annotat:

1) Differentem eſſe putridæ febris genium, vi cujus uno præ alio tempore ad metaſtaſin firmandam inclinat; haud mihi abſonum videtur, illam diverſitatem derivare a varia viſciditate materiæ morbificæ, minus ideo, magisve ad colatoria permeanda idoneæ; quali ſententiæ convenit etiam circa hanc epidemiam notata tenacitas impuritatum inteſtinalium, quibus tanquam fonti inſequens ipſius ſanguinis corruptela merito adſcribitur, illarumque ideo indolem retinet.

2) Epidemias putridas adeo ad metaſtaſin pronas præ aliis eſſe periculoſas; mortuorum enim numerus in præſenti alias ſolitum longe ſuperabat, & in omnibus a deſtructione per metaſtaſin inducta originem trahebat.

3)

3) Plurimas, ſi non omnes, corporis partes, ut apud noſtros, caput, pectus, abdomen & artus, metaſtaſi eſſe ſubjectas; maxime autem pulmones, quod aliæ experientiæ haud ſecus ac memorata conteſtantur, quosque præ cæteris internis viſceribus ad materiam metaſtaticam impune excipiendam & evacuandam diſpoſitos eſſe, ſimul compertum eſt.

4) Epidemias tales, ut ita dicam, metaſtaticas, ob ſingularem naturam & grave periculum, appropriata quoque procuratione medicorum opus habere; principiis obſtare, primas vias tempeſtive & ſufficienter, imprimis per emeſin, etiam repetitam evacuando, potiſſima ſine dubio prævertendi mali regula ſit; ſi nihilominus vel illa cautione neglecta, vehementia morbi damnoſum eventum præſagiat, per citum veſicantium uſum ad artus vim morbi dirigere conandum eſt l).

a) L. c. T. I. p. 176.
b) L. c. ibid.
c) L. c. T. I. p. 274.
d) L. c. T. II. p. 82.
e) L. c. T. I. p. 257.
f) L. c. T. I. p. 43.
g) L. c. T. II. p. 106.
h) L. c. T. I. p. 13.
i) L. c. T. I. p. 294.
k) L. c. T. I. p. 165.
l) L. c. T. I. p. 278.

Exi-

Exitus febris putridæ in mortem.

1) Gangræna univerſalis, ſeu partialis. Inter alia gangræneſcentiæ illius univerſalis aut partialis, ſigna alibi enarrata, meteorismus ſeu intumeſcentia abdominis, præcipue notandus eſt. Meteorismi autem in febribus obſervati plures ſpecies ſunt, quas hic breviter repetere liceat.

a) Meteorismus flatulentus. Diagnoſis hujus meteorismi deſumitur ex abſentia ſignorum reliquis ſpeciebus propriorum; dein ex notione ſubjectorum huic ſpeciei obnoxiorum. Aggreditur vero præ cæteris laxos, debiles, frigidos, pituitoſos, victu farinoſo, pingui, terreſtri utentes, ſedentariam agentes vitam, fœminas hyſtericas, viros hypochondricos, puellasque chloroticas. Meteorismus hic tranſitorius eſt, & ſæpe flatibus ἀνω και κατω expulſis ſolvitur. Si vero natura ſibi ſola non ſufficiat, adjuvabitur omnibus iis, quæ ſpasmos ſolvunt, laxitatem ventriculi & inteſtinorum una cum vappiditate ſuccorum chymo - & chylopoeticorum emendant. Id vero præſtabunt omnia, quæcunque antiſpaſticorum, carminantium, ſpirituumque aromaticorum titulo inſigniun-

tur:

tur: præterea omnia ſtomachica amara, rhabarbarina, martialia.

b) Alia meteoriſmi ſpecies meteorismus ſaburralis dicitur. Cauſa hujus meteoriſmi eſt ſaburra quæcunque ventriculum & inteſtina inundans, ſeu ex ingeſtis nata, ſeu ex ſecundis viis ad primas delata. Cognoſcitur ex ſignis ſaburræ præſentis. Signa ſaburram deſignantia ſunt: os impurum, mucoſum, aut amarum; dentes & gingivæ ſordidæ; lingua alba, mucoſa, flava; anorexia, apepſia. Salivæ inſipidæ, dulcis, amareſcentis, nauſeoſæ copioſus affluxus in fauces; ructus acidi, amari, putridi, nidoroſi, auſteri, urentes; ſudores nidoroſi, olentes; ſenſus repletionis circa præcordia cum tenſione eorundem; pondus ventriculi cum & ſine ſenſu frigoris; jactatio continua, inquies ſumma; motus tremulus labii inferioris; nauſeæ conſtantes, vomituritiones, quin & ipſe vomitus materiei acidæ, glutinoſæ, porraceæ, æruginoſæ, vitellinæ, atræ, fauces exurentis, dentes ſtupefacientis, ſaporis acerbi, metallici. Elatio ſupremi, medii, vel infimi ventris, attactum modo facile, modo difficulter ferentis, cum quodam lumborum dolore; borborygmi, alvus modice diarrhæi-

ca,

ca, fœtens, inter flatus putridiſſimos, modo iterum inordinata; vel etiam ſtricta.

Raro hæc ſpecies febre caret; fere ſemper febri acutæ vel pituitoſæ, vel slilioſæ, vel etiam putridæ indolis jungitur; eſtque præ cæteris frequentior, & plerumque, niſi morbus altas nimis radices egerit, bonæ methodo adhibitæ cedit.

Cura binis indicationibus abſolvitur, quarum prima eſt, ut ſaburra mobilis reddatur; altera, ut emetico, aut cathartico, aut emeto-cathartico ejiciatur, prouti ſaburra vel ſurſum, vel deorſum, vel per utrasque vias moliatur exitum, ſuis ſignis cognoſcendum. Saburra mobilis redditur potu copioſo, ſolvente, ſalito, mellito, ſaccharato. Saburra expellitur ſurſum vel 1) ſola mechanica irritatione faucium; 2) idea ingrata; 3) agitatione non conſueta, v. g. gyratione; 4) tepidis aquoſis, oleoſis; 5) ſpecificis, ut ipecacuanha, tartaro, aut ſyrupo emetico, vel aliis etiam antimonii præparatis. Deorſum purgantibus, ex ſalibus mediis, ſenna, rheo, myrobalanis jalappa &c.

Saburram ſurſum exitum moliri cognoſces præter communia ſaburræ ſigna ex ſenſu repletionis circa præcordia, pondere ventriculi, ex dato epigaſtrio cum levi quo-

dam

dam ad attactum dolore, ex ructibus variis, ex nauſea ferme continua, vomituritione, nonnunquam etiam vomitu. Unde optime jam hoc notavit *Celſus* de ſtomachi morbis agens, cum vomitum per ſe obvenientem compeſcendum eſſe propoſuerit, excepit tamen: „ſi exacuit intus cibus, aut computruerit, quorum utrumque ructus oſtendunt, ejiciendus eſt.“ Deorſum vero ſaburram exitum moliri patebit, ſi medius vel infimus venter tumidulus, & ad attactum leviter dolens exploretur, aut colicus dolor levis per vices recurrens, borborygmi, flatus olidi, alvus inordinata, fœtens, diarrhæica &c. obſervetur.

Hanc diſtinctionem ſi adhibueris, ſæpe febrium pituitoſarum, bilioſarum, ſaburralium evitabis degenerationem putridam, quam vero ſæpius evitabis, ſi emetici loco catharticum exhibueris; hac enim ratione ſaburra per integrum inteſtinorum tractum diſperſa majori ſuperficiei vaſorum reſorbentium exponetur, quorum ope illa reſorpta, & in maſſam humorum traducta illorum craſin vitiabit, & degenerationem quamdam inducet, quam communi putredinis vocabulo deſignamus.

c)

c) Tertiam meteoriſmi ſpeciem conſtituit meteoriſmus inflammatorius, cujus cauſa aſſignatur inflammatio ventriculi aut inteſtinorum, undecunque nata. *Ballonius* hanc ſpeciem ſub nomine enteritidis flatulentæ deſcribit, & familiare valde ſymptoma febrium putridarum & malignarum eſſe adfirmat.

Notio hujus ſpeciei innititur 1mo ſignis communibus omnium inflammationum; 2do ſignis ſpecialibus viſcerum abdominalium.

Ad ſigna communia inflammationis refertur tumor, rubor, dolor, calor, ſitis una cum lingua alba aut ſicceſcente, pulſu pleno, forti, duro, accelerato, febre continua, alvo pauca, difficili, urina parca, flammea.

Signa ſpecialia inflammatornm viſcerum abdominalium ex abdomine leviter tympanitico, dolente, attactum difficulter, aut prorſus non ferente deſumuntur; præcipue ſi dolor ille in eodem conſtante loco fixus hæreat, ſi febrim acutam continuam, vomitum pertinacem, tormina acutiſſima, & ſimilia juncta habeat.

In nulla meteoriſmi ſpecie pulſus tantopere fallax deprehenditur, ac quidem in hac;

hac; eſt enim non raro debiliſſimus, molliſſimus, ſub digitis evaneſcens, licet diriſſima inflammatio in inteſtinis ſæviat. Hinc hæc pulſuum fallacia ſæpe incautos ſeducit, ut mutent medendi methodum, & morbum, quem generoſiſſima medendi methodo antiphlogiſtica debellare deberent, cardiacis, excitantibus remediis aggrediuntur, quia vires vitæ labeſcere putant, quotiescunque pulſum debilem inveniunt; ſic perverſa hac methodo morbum magis magisque exaſperant, donec inflammatio ad ſummum evehatur gradum, & abolito omni tam effluxu, quam effluxu vitali, in gangrænam terminetur.

Quare ut hunc errorem evitemus, oportet non ſoli pulſuum examini inhærere, ſed reliqua etiam morbi ſymptomata, ætatem, ſexum, vitæ genus, conditionem, ſanitatem præcedentem, ſtatumque præſentem, verbo, hiſtoriam morbi perſpicaci luſtrare oculo, altero ad anni tempus, morbosque corregentes directo. Si in eruendis indicationibus hac proceſſeris via, morbus longe feliciorem ſortietur eventum, & æger adoptatæ reſtituetur ſanitati, qui cardiaca tractatus methodo certam oppetiiſſet mortem.

Methodus medendi in hac ſpecie adhibenda erit antiphlogiſtica, modo generoſior,

modo minus generoſa, prouti inflammatio gravior vel minus gravis eſt. Minus generoſa methodus antiphlogiſtica conſiſtit intra ſolos potus diluentes, attenuantes, emollientes, tepidos, larga manu ingeſtos, una cum uſu externo fomentorum, cataplasmatum, balneorum, & enematum ejusdem indolis. Generoſiſſima vero methodus, præter priora, exigit ſimul venæ ſectiones largas, frequenterque repetitas.

d) Nunc quartam ſpeciem, meteorismum nempe gangrænoſum conſideremus. Oritur hæc ſpecies a gangræna viſcera quæcunque abdominis occupante. Peſſimus hic meteorismus eſt, & ferme ſemper certus mortis nuntius, licet reliqua ſymptomata videntur ſpem ſalutis promittere.

In meteorismo a gangræna inteſtinali producto fors daretur caſus, ubi æger ſervari poſſet; ſed is caſus certe ad rariſſimos referendus eſſet, ſi unquam meteorismo hoc præſente tamen quis ſervaretur. Is caſus ſolum tunc obtineret, ſi e. g. exigua tantum portio celluloſæ primæ, ab internis numerando, gangræna corrumperetur, & portionis hujus tabidæ bonitate naturæ, heroica antiſeptica methodo adjutæ, ſeparatio a vi-

vo

vo fieret, vulnusque juxta artis leges tractatum conſolidaretur.

Contingit non raro in febribus putridis, ut æger, qui jam aliquo tempore ſub continuis deliriis aut comatoſus, aut furibundus decumbebat, linguam exhibebat aridam, ſiccam, cruſtoſam, anxie & laborioſe reſpirabat, in quo cutis arida, ſicca, imperſpirabilis deprehendebatur, cum pulſu debili, parvo, cui inſcio alvus & urina fluebant, qui attactum abdominis tumidi rudiorem difficulter, vel plane non ferebat, cui extrema frigebant, quod jam olim damnaverat *Hippocrates* dicens: „a dolore vehementi partium circa ventrem extremarum refrigeratio, malum, dico, contingit non raro, ut ejusmodi æger ſubito ſine manifeſta cauſa reſipiſcat, de nullo dolore conqueratur, ſeſe bene habere adfirmet, reſpiratio emendetur, pulſus antea debilis, parvus, nunc ferme naturalis exploretur. Congratulantur amici, & medicus his ſolis emendationibus inhærens, non attendit ad reliqua concomitantia peſſima, licet obvia; nil amplius periculi ſubeſſe credens promittit ſalutem. Sed brevi mutatur tota rerum ſeries, pulſus jam non amplius naturalis, ſed debiliſſimus, inæqualis, intermittens deprehenditur, me-

teoriſmus abdominis increſcit, reſpiratio fit laborioſa, anxia, ſublimis; palpebræ fixæ hærent officii ſui immemores, oculi lachrymoſi, aut pulverulenti, aut ſicci, extrema frigus marmoreum occupat, ſudor viſcidus in guttas collectus in facie, collo, jugulo apparet; verbo, adeſt illa facies hypocratica dicta, & mors cum medici infamia ſcenam claudit.

Quare ejusmodi ſubitæ emendationi absque manifeſta cauſa in morbis acutis nunquam fidendum, reliqua ſimul ſymptomata in conſiderationem vocanda, & his conſideratis, peſſimisque deprehenſis, audacter enunciandum, mortem præ foribus eſſe, oriundam ex gangræna partis, morbo antea conflictatæ. Hinc adſtantes de imminenti periculo ſunt commonefaciendi, ut invigilent ægro, ne illis inſciis fatis cedat: hoc ſi fecerimus, evitabimus ſcopulos, in quibus toties jam medicorum fama periclitabatur.

e) Supereſt, ut de quinta, eaque ultima meteoriſmi ſpecie pauca quædam diſſeramus. Generatur hic meteoriſmus a veſica urinaria mirum quantum lotio diſtenta. Ratio, cur veſica, licet plena, tamen non evacuetur, videtur eſſe quærenda in immi-

nuta

nuta irritabilitate tunicæ muſculoſæ veſicæ, cum reliquæ cauſæ, uti ſunt copia, & pondus, vel acrimonia a phyſiologis ad excretionem requiſita, adſint, & tamen excretio nulla fiat.

Obſervatur hoc vitium plerumque in ægris graviter decumbentibus, ſoporoſis, comatoſis, lethargicis, aut delirantibus. Oportet in ejusmodi ægris præter reliquum abdomen quotidie etiam explorare regionem pubis; & ſi contingat, ut ibi explores tumorem quendam globoſum, ſtatim in initio huic malo occurras. Neque ſufficit quæſiviſſe, an æger quotidie urinam mittat; ſunt enim ægri, qui quotidie ſeſe commingunt, aut etiam lotium ad matulam mittunt, ſed parcam ſolum quantitatem, aut ſaltem non omnem; & ſic, cum cauſæ ſecernentes continuo agere pergant, urina pedetentim magis magisque accumulabitur, & fibræ muſculares ſenſim ſine ſenſu diſtractæ, tandem elatere omni amiſſo, impares evadent expellendo lotio, ſicque paralyſis veſicæ immedicabilis ſubſequatur, aut quod adhuc pejus, crepatura.

Huic malo medetur ſæpius exemptio ægri ex lecto, aut circumductio per cubile; hac enim ratione ſæpe veſica ſui admonetur

officii, ſponte ſeſe contrahit, & urinas copioſiſſimas largitur. His incaſſum tentatis catheter applicandus venit, ſi vero ob vitium quodcunque urethræ, aut colli veſicæ e. g. inflammatorium, catheter applicari nullatenus poſſet, veſica e contra lotio nimis diſtenta nos jam periculum paralyſis, aut crepaturæ inſtantis admoneret, nunc ad veſicæ puncturam erit confugiendum a).

a) Plenker Diſſ. de meteorismo. Viennæ 1783.

Frequens quoque in febribus putridis partium etiam modice preſſarum rubor purpuraſcens, livor, gangræna. Id in quibusdam epidemicis conſtitutionibus adeo ſolemne eſt, ut vix ulla ratione decubitum poſſis prævertere.

2) Inflammatio latens, ſeptica, quæ frequens & lethalis, ut ſupra diximus, febrium putridarum exitus eſt. Signa quoque ſupra notavi.

3) Depoſitiones ſeroſæ ad caput, thecam vertebrarum, thoracem ægros frequenter perimunt. Exempla quædam e *Bangii* diario adducam:

Anno 1783 menſe Martio, ægrotus ex febre putrida die 15ta ſub gravi delirio exſpiravit: cujus cranio diſſecto duram matrem in-

intenſe rubra, vaſa cerebri ſanguine valde repleta, & in ventriculis lateralibus inſignem quantitatem extravaſati ſeri invenimus a).

Putrida febre decumbens fœmina 39 annos nata, uno alterove die ad aſpectum melior facta, die 18vo poſt ſomnum quietum ſubito corripiebatur dolore preſſorio pectoris, & cardiæ enormi ſuffocativo, & intra pauca minuta lethali. Aperto cadaveris pectore ſerum largiſſimum in pericardio effuſum, nil autem aliud in thorace præter naturam invenimus; in abdomine hepar valde prominebat, debitum volumen longe ſuperans, coloris quidem naturalis, ſed ſubſtantiæ tamen absque tuberculis induratæ, atque ſub inciſione multum ſanguinem effundens; pancreatis infarctus quoque obſervabatur, reliqua ſana. Probabile eſt, ſerum metaſtaticum circa cor depoſitum, motum hujus impediendo citiſſime morti anſam præbuiſſe; forſan hepatis inſigne volumen, & pondus compreſſione vicinorum ad cauſæ allatæ effectum accelerandum inſerviit b).

a) Celeb. Bang. diarium. I. p. 74.
b) Lib. cit. II. p. 565.

Methodus medendi.

Febrium putridarum genus non unum eſſe, ex prius dictis patet; hinc neque una eademque medendi methodus ſemper locum habet.

Fons indicationum triplex: 1) Natura febris indeterminata; hinc ſymptomatica methodo, in Tomo 5to horum commentariorum exponenda, opus eſt. 2) Ipſa ſpecies febris putridæ probe conſideranda eſt; aliter enim febri inflammatoriæ, aliter bilioſæ in putridam converſæ, occurrendum eſſe, ſupra monuimus. 3) Modus etiam, quo talis tranſitus contigerat, medicum in medendo non raro dirigit.

Omnis autem febri putridæ medendi methodus ad duo ſumma capita poteſt reduci:

I. Cauſas excitandæ & ſuſtentandæ febri putridæ pares, removere.

II. Virium vitalium ruinæ convenienti remediorum apparatu occurrere.

Prima medendi indicatio omnes illas cauſas comprehendit, quas ſupra inter remotas numeravimus, atque nunc, quomodo ſubmoveri debeant, paucis videamus.

1)

1) Æger in loco elato, conclavi magno, aëre ſicco, ſæpe ventilato ponatur. Maximum enim in febre putrida ſanationis impedimentum aër eſt concluſus, non renovatus. Quantum enim aër recens, frigidiuſculus in putrida febre ſolamen afferat, vix, niſi expertus credat. Sæpe enim ægri, qui domi ſuæ delirabant, in via, cum ad noſocomium deportabantur, reſipuere, quod certe ab aëre recenti, perflato accidit. Hæc autem aëris temperatura non ad thermometrum, ſed ad gratam ipſius ægri ſenſationem accomodetur. Conclavia aëre perflato deſtituta, atque animantium exhalationibus inquinata, ſanationem maxime impediunt. Hinc febres putridæ in noſocomiis tanto pejores; hinc ex quacunque febre reconvaleſcentes non nimis diu in noſocomio retineantur, etſi paulo adhuc debiliores eſſe videantur. Atque ex eadem ratione ſæpe intermittentes, aut aliæ vix ſubortæ febres in aëre noſocomiorum in putridam febrim tranſeunt. Hinc quoque febrium putridarum noſocomialium malignitas.

Luſtrari aër poteſt feneſtris, & januis apertis frequenter, quin tamen æger aëri perflanti exponatur. Iners cubiculi atmosphæra agitatur, expellitur, ut novæ locus

fiat, flamma excitata, igne cum halitibus balſamicis, ventilatore &c. At ſi externa atmosphæra pariter mala ſit, aut in loco depreſſo æger cubare debeat, ſiccari agitarique aër poteſt igne lignorum balſamicorum; & dein aëre dephlogiſticato ex accenſo nitri; item fumo aceti. Acetum coqui poteſt, & ita in fumos reſolvi. Urinæ & fæces illico removeantur. Æger ipſe quotidie fere lavandus, mediante poſca.

2) Tepor lecti aſſiduus in febribus putridis ſummopere nocet, quo & putredo, & ipſa febris augetur. Decubitu inſuper aſſiduo caput magis afficitur, cum in ea corporis poſitura ſanguis e capite difficilius refluat, major autem ſit humorum ad encephalon affluxus, hinc congeſtiones humorum in cerebro, & major ſenſuum ſtupor oritur; motu autem muſculorum omnes ſe- & excretiones liberiores fieri obſervamus, unde ſæpe ægri, per plures ſubinde horas urinarum ſuppreſſione detenti, ſola exemptione e lecto, & circumductione per conclave, a periculoſo hoc ſymptomate liberantur. Hinc *Sydenhamus* exemptionem ægrorum e lecto tanti fecerat.

3) Somnus atque ſomnolentia ægri omni modo arcendi. Non de illo ſomno hic

ſer-

ſermo eſt, qui ægros per noctem obtrepit, ſed de illa aſſidua ægrorum per diem in ſomnum proclivitate. Hæc enim ſomnolentia, obſervante Ill. *Tiſſot*, putredinem auget, omnia ſymptomata exaſperat, & caput præcipue graviter afficit. Male igitur agunt, qui omnem ſtrepitum ab ægrorum conclavi avertere ſtudent; at pejus utique illi agunt, qui ægros opiatorum uſu in lethalem ſomnum præcipitant, niſi forte urgens aliquod ſymptoma, v. g. diarrhæa exhauriens, opii uſum poſcat. In noſocomio ægros e lecto eximi, in ſella reponi, atque a reconvaleſcentibus e ſomno ſæpius excitari curabat *Stollius*, ſummo cum ægrorum levamine.

4) Senſuum & muſculorum feriatio; hæc enim plurimum obeſſe ſolet. Hinc alloquio, motu, atque ſtrepitu ſenſus & muſculos oportet excitare. Ægri tales erecto corpore ſedeant.

5) Stragula munda ſint, & ſæpius renovata; ita enim perſæpe partium preſſarum gangræna avertitur; aër inſuper putridis ejusmodi effluviis magis de die in diem inquinatur. Prava opinio vulgi de non aperiendis feneſtris, de veſtibus, & lecto non mutandis, de non denudanda ulla parte corporis ægrotantis. Sudantibus mutentur lintea,

tea, cum cautela, ut nempe dentur ſicca, & repefacta.

Obſervatis hisce, quæ cauſarum remotarum ablationem ſpectant, ipſa remedia exponamus, quibus lanquens vis vitalis debet excitari. Cum autem pleræque febres putridæ, putridæ ſaburrales ſint, de primarum viarum purgatione omnium primo dicendum eſt. Quæ autem ad evacuationum gaſtricarum in febribus putridis uſum pertinent, hæc ſunt:

Emeticum dandum ſolummodo viribus vitæ adhuc vigentibus; cum nulla, nullius, neque pravi humoris evaçuatio fieri debeat, ubi indicatio *vitalis* adeſt; ſecus enim ſub ipſa evacuatione e. g. per alvum, aut puris, aut aquarum in hydropico, periret æger.

Emetica & purgantia in *bilioſo - putridis* majori cum cautela danda ſunt, quam in mere bilioſis, & ſubinde dari non poſſunt.

Repeti rarius debent in bilioſo - putridis, quam in bilioſis.

Initio morbi tutius dantur, quam in progreſſu.

Stupidis, deliris, aridam linguam habentibus, fruſtra, ſubinde cum detrimento

inge-

ingeruntur emetica, ubi purgantia enematibus adjuta melius, & tutius agunt.

Emetica, uti etiam purgantia, licet indicata, minus evidens tamen levamen ferunt in bilioſo-putridis, quam in bilioſis; cum vis morbi altius reſideat.

Symptomata ſaburralia adſunt in putridis, quin tamen ſaburra adſit, aut ea dudum exantlata; hæcque a prava humorum circulantium conditione potius proveniunt, quam a fluctante ſaburra ventriculi.

Emeticis ſæpe felicius ſubſtituuntur purgantia leniora, rhabarbarina, admiſtis tonicis; ſecus ac in bilioſis.

Leviores febres putridæ ſaburrales ſanantur *apto regimine*, & *ſolis evacuantibus*; neque ultra 14tum morbi diem excurrunt. At graviores, utut per unicum alterumve diem poſt evacuationem febris miteſcere incipiat, tamen paulo poſt reſumptis viribus augetur, fitque vera putrida, jam non ſaburralis, ubi antiſepticis remediis pugnandum erit.

Cum autem non ſint eædem vires, aut, utut vis antiſeptica omnibus inſit, plures tamen alias virtutes hæc antiſeptica poſſideant, diverſusque ſit gradus antiſepticorum, juvabit exponere, ſub quibus conditionibus

quo-

quodlibet ex celebrioribus antiſepticis ſit propinandum. Rem noſtra attentione digniſſimam proponam, & qua ignorata toties, & tam graviter peccatur.

Remedia autem, quibus in febribus putridis vim vitæ languentem erigimus, quinque præcipue ſunt, ad quæ omnis apparatus antiſepticus, tanquam ad ſumma capita poteſt reduci; ſunt autem hæc:

Cortex peruvianus.
Flores arnicæ.
Radix arnicæ.
Camphora.
Acida mineralia.

Tot enim diverſi ſtatus, ſuis quisque ſignis diſtinctus, in febre putrida obſervantur, ut huic remedio potius, quam alio locus ſit.

Exordium a cortice peruviano, antiſepticorum principe faciam, qui ſub ſequentibus conditionibus propinatur.

1) Datur cortex peruvianus pulſu debili, molli, accelerato, aut etiam naturali exiſtente, ſeu viribus vitalibus valde proſtratis, calore non magno. Is ſtatus præcipue obtinet in febribus putridis longis, fœminarum præcipue, aut virium debilium; calida humidaque æſtate; ſolidorum & fluidorum

dorum laxa compage; vi vitæ evacuationibus fracta; ſynocho putri remittente, aut continua facta ex remittente, intermittente, conſtitutione intermittentium corregente; gangræna inſtante.

2) Hinc non dandus cortex pulſu forti plenoque, aut admixta diatheſi phlogiſtica, quæ *initio putridarum* non raro adeſt. Non dandus cortex eſt, ubi æger aliqua doloris ſigna edit in abdomine; neque celeriter breviterque reſpirantibus; neque in depoſitionibus ad caput factis.

3) Neque etiam dandus eſt cortex in progreſſu putridarum, ubi ſæpe primum *inflammatio* ſupervenit hepatis, ventriculi, omenti, inteſtinorum, ſubinde & pulmonum.

4) Neque *ſaburra adhuc turgente* cortex convenit, niſi indicatio vitalis fuerit.

5) Dandus eſt cortex nullo reſpectu habito ſordium linguæ, orisque, aut caloris urentis, aut exacerbationis remiſſionisque; aut diei critici indicisque; aut urinarum.

6) Optime convenit uſus corticis in putrida ſimplici, ac genuina.

7) Modus dandi corticem peruvianum varius eſt. Ingeritur per os ſaturatiſſimum ejus decoctum; item in ſubſtantia, ubi putredo celeriter increſcit; per enemata; per

modum epithematis ad ſcrobiculum, ad abdomen. Dari & extractum in mixtura poteſt cum aquis cordiacis; itemque, ſed rarius in *eſſentia*. Decoctum corticis præ cortice in ſubſtantia convenit, ob vires ventriculi jam ante morbum, aut durante febre dejectas. In hoc enim caſu cortex peruvianus, aut tanquam iners maſſa in ventriculo hærebit, aut pondus inutile ſtomachum gravabit, aut mechanico ſtimulo diarrhæam ægro maxime nocivam excitabit.

Alterum princeps remedium antiſepticum flores arnicæ ſuppeditant. Arnica vires poſſidet eximias reſolventes, ſubemeticas. Dari in *hac febre* magnis doſibus poteſt, ab uncia β ad unciam jβ in decocto. Ubi conqueri incipiunt ægri, plerumque jam ſunt extra periculum.

Conveniunt flores arnicæ 1) ſi febris putrida ex neglecta febre bilioſa oritur; 2) nulla præſente topica viſceris inflammatione; 3) pulſu fere naturali, aut naturali vix celeriori, ægro tamen admodum debili; 4) lingua ſicca, arida, glutine obducta; capite ſoporoſo, ſenſuum internorum & externorum torpore, anæſtheſia, delirio placido. 6) In febre putrida pituitoſa, in lentam nervoſam tranſeunte. 7) Primis viis primum purgatis,

tis. Solebat in noſocomio uncia dimidia, una, raro una & dimidia in libris ij aquæ decoqui, addito ſyrupo quodam, ut æger omni bihorio vaſculum coffé aſſumeret. Si cardialgia vehementior ab uſu hujus decocti ægros vexet, minutis, at partitis præbiis decoctum propinatur.

Eodem hoc ſtatu præſente, ſoporoſo nempe ac torpido, veſicantia quoque indicantur, de quorum uſu atque abuſu nunc pauca diſſeram, atque tam utilitates, quas a cantharidum applicatione licet exſpectare, tum etiam incommoda & noxios effectus veſicantium recenſebo.

Effectus autem ſalutares veſicantium in corpus humanum in febre putrida ſequentes ſunt:

1) Agunt tanquam remedium topicum in parte, cui applicantur, dolorem excitando, hinc ſomnolentiam & torporem his ægris adeo nocivum, excutiunt. Hinc proſunt veſicantia, ſi ægri continuo in ſomnum proclives ſunt, ut ab adſtantibus difficulter excitentur, mox iterum in eundem ſoporem relapſuri. Interim cantharides non in partem tantum, cui adplicantur, agunt, ſed partibus volatilioribus atque acrioribus per vaſa reſorbentia cutis in humorum maſſam

traductis, motum ſanguinis accelerant, ut febrim, ſi ea nondum adſit, excitent, aut jam præſentem vehementer augeant. Unde patet, veſicantia tunc tantum applicanda eſſe, cum ob vires plurimum fractas fortioribus ſtimulis opus eſt.

2) Secunda veſicantium utilitas in eo conſiſtit, ut vires illorum, quin ad primas vias, ventriculum & inteſtina perveniant, mox per corporis ſuperficiem in ſanguinem tranſeant. Hinc conveniunt veſicantia viribus ægri vehementia aut diuturnitate morbi, evacuationibus nimiis ſanguineis aut gaſtricis collapſis, aſſumpti remedii deglutitione difficili, aut nimis cita ejusdem per canalem inteſtinorum dejectione. In hoc enim caſu per cutis poros remedium quoddam oportet ingerere, quod cantharidibus optime perficitur.

3) Cantharides pituitam potenter incidunt, attenuant, & obſtructa reſolvunt. Atque hæc eſt ratio, cur veſicantia in affectionibus rheumaticis tam egregios ſæpe effectus præſtant, cur in pleuritide rheumatica, in peripneumonia notha tam efficax remedium ſint; tunc enim, cum pulmones tenax gluten obſidet, atque æger præ nimia debilitate ſputa nulla rejicit, veſicantia collapſas

vires

vires erigunt, gluten attenuant, & largaſpu-ta cum magno ægri levamine educunt. Atque ob eam ipſam veſicantia in febribus pituitoſo-putridis conveniunt, vires ſcilicet erigendo, pituitam attenuando, eliminandoque. Hinc ægri, qui ob factam metaſtaſin jamjam pro deperditis habebantur, veſicantibus appoſitis non raro ex orci faucibus eripiuntur. Attamen cavendum eſt, ne in omni metaſtaſi veſicantibus utámur. Facta enim quadam metaſtaſi duplex ægroti corporis ſtatus conſiderandus eſt.

a) Metaſtaſis enim ab orgasmo quodam humorum exorta ſymptomaticam in quadam parte inflammationem, ſeu ſtaſin inflammatoriam producit. In tali ſtaſi phlogiſtica peſſime utique cederet cantharidum applicatio; melius antiphlogiſtica remedia conveniunt.

b) Fit autem etiam metaſtaſis a languido humorum motu, morbi diuturnitate, aut evacuationibus nimiis arte vel natura factis, inducto. In hac altera metaſtaſeos ſpecie proſunt veſicantia, quatenus motu humorum aucto, illorum penuria quodam modo compenſatur. Tales enim metaſtaſes non raro ſtuporem, deliria, ſpasmos, dyspnœam, orthopnœam atque alia ſym-

ptomata inducunt, cantharidum uſu non raro ſanata.

4) Veſicantia aliam adhuc utilitatem præſtant, humores ſcilicet ad corporis ſuperficiem determinando, atque, ut opium ſolet, diaphoreſin augendo. Obſervatione enim conſtat, hominem hora circiter ab applicato veſicante magis caleſcere, atque inſudare. Hinc eximius cantharidum uſus in exanthematibus retropreſſis ad cutem iterum revocandis. At neque ſemper, poſtquam exanthema retroceſſit, veſicantibus ideo locus eſt. Exanthematibus enim retropreſſis, triplex univerſim exitus obſervatur.

a) Accidit ſubinde, ut materies retrocedens per varia corporis colatoria, alvum, urinas, ſudorem eliminetur. Fauſtiſſimus hic exitus eſt poſt efflореſcentias cutaneas retrocedentes, atque tunc bene de rebus ægroti agitur. Graviter peccaret medicus, materiam exanthematicam ab his colatoriis ad cutis iterum ſuperficiem evocando.

b) Quandoque autem materies exanthematica retrocedens una cum reliqua humorum maſſa per corpus movetur, atque novam febrim accendit. In hoc caſu cauſæ inveſtigandæ ſunt, quæ has efflореſcentias

tias retropreſſerant, atque apta huic medela adhibenda eſt. Si enim a ſordibus primarum viarum exanthematum retropreſſio, emeticum in hoc optimum erit alexipharmacum; ſi a perfrigerio, moderatus cubiculi calor, tepor lecti, & infuſa ſudorifera conveniunt; ſi denique ab animi pathemate, tali ſcilicet, quo humores ad interiora pelluntur, e. g. terrore, vehementi ira &c., tunc talia, quæ ſpasmos ſolvunt, propinanda ſunt, e. g. opium, moſchus, &c.

Si materia retropreſſa, ſanguinem oberrans, validam febrim cum calore magno, pulſu pleno, forti, duro, & ſiti magna excitat, ut inflammatoria ſtaſis in parte aliqua corporis metuenda ſit, a veſicantibus abſtinendum eſt. Ignem enim igni adderemus, & febris accenderetur vehementior, quæ potius ſopienda fuiſſet. Proſunt tunc modicæ venæ ſectiones, potus copioſus, diluens, antiphlogiſticus, tepidus.

Quodſi vero ob eandem materiam retropreſſam vires vitæ valde debilitantur, pulſu parvo, accelerato, debili, optimos effectus cantharides præſtant.

c) Materia autem exanthematica neque per idonea corporis colatoria eliminata, neque humoribus permiſta cum iisdem per corpus oberrans, ad aliquam tandem corporis partem incumbit. Talis metaſtaſis aut *benigna* eſt, ſi ad partem ignobilem, ad quam facilis acceſſus eſt, deponitur; vel *maligna*, ſi nobile quoddam viſcus afficituur. Quid autem facta quadam metaſtaſi a medico agendum ſit, quando veſicantia proſint, aut noceant, ſupra dictum eſt.

Utilitates veſicantium vidimus; nunc etiam incommoda cantharidum enarrabimus.

1) Cantharidibus id proprium eſt, ut urinas primo augeant, dein minuant, cum teneſmo ad matulam, atque tandem urinæ retentio, imo mictus cruentus ſubinde oriatur. Dolores & ardorem inter mingendum *Hildanus* obſervavit; *Timæus* mictum cruentum cum exulceratione veſicæ; *Langius* ægrum vidit, qui a veſicantibus applicatis ultra quinque ſanguinis libras mictu cruento reddidit. *Rulandus* equidem adfirmat, ſe a veſicantibus nuchæ & pedibus applicatis urinæ difficultatem obſervaſſe, quin ægri male inde affecti fuerint; alii tamen a mictu cruento funeſtos exitus ſe vidiſſe memorant.

Hen-

Henricus ab Heers narrat, nobilem virginem ab unguento multis cantharidibus ſcatente, altero mane, poſt largiſſimum mictum cruentum, convulſam periiſſe; monente *Baglivio* non modo ſæpius gangrænam, ſed etiam ardorem urinæ, mictum cruentum, atque alia ſyſtematis uropoietici ſymptomata oriri, in hominibus præcipue calidis, ſiccisque, ardente Syrio &c.

Hinc veſicantia non conveniunt urinis parcis, mictu cruento, & affecto ſyſtemate uropoietico.

2) Cantharides vim aphrodiſiacam exſerunt, ut etiam ſatyriaſis ab illarum uſu obſervata ſit. Duo ejusmodi funeſtos caſus *Cabrolius* notavit. Cavendum itaque, ne medicus viris in venerem proclivibus veſicantium ſtimulo noceat.

3) Cantharides ſitim excitant, & linguam reddunt ſicciſſimam, ut vix ſitim poſſis extinquere.

4) Alvi fluxum cohibent, atque diatheſin inflammatoriam non tantum in ſyſtemate uropoietico, ſed in canali quoque inteſtinorum generant; inde tormina, enteritides, alvus cruenta, dyſenterica. *Baglivius* narrat, ægrum febre detentum, a cantharidibus

applicatis, copioſum ſanguinem per alvum reddidiſſe, atque paulo poſt mortuum fuiſſe.

Nocent ergo veſicantia:

a) In febre putrido-ſaburrali, ſaburra nondum excuſſa.

b) Alvo tarda & difficili, ſolum enematibus reſpondente.

c) Præſente ſtaſi inflammatoria; aut imminente ob vim vitæ exorbitantem, metaſtaſis periculo.

Cum veſicantia alvi fluxum cohibeant, idoneus ſæpe ob hunc ipſum effectum veſicantium uſus eſt. Oritur enim non raro ſubita, copioſa, viresque ægri exhauriens diarrhæa, cum pulſu parvo, molli, debili, & facie Hippocratica. Hæc diarrhææ ſpecies tunc accidit, cum in morbi initio ſaburræ primarum viarum evacuatio emeticis aut eccoproticis remediis neglecta eſt. Mirum in modum ſæpe in hoc caſu veſicantia proſunt, copioſum hunc alvi fluxum ſiſtendo. Neque quis dicat, hanc diarrhæam non ſiſtendam, ſed potius promovendam eſſe, cum materiem putridam, morbi fomitem, eliminet; etſi enim verum ſit, materiam hanc nocivam e corpore eliminandam eſſe, ſummopere tamen nocet ſubita, & tumultuoſa ſaburræ evacuatio.

d) Par-

5) Particulæ cantharidum reſorptæ humores ſolvunt, & in putredinem procliviores reddunt, quod *Baglivii* experimentis, aliorumque medicorum obſervationibus comprobatum eſt. Hinc loca veſicantibus tentata tam facile gangræneſcunt. Obſervavit *Baglivius* ulcera a veſicantibus orta in ægris cachecticis, hydropicis, atrabilariis, ſyphiliticis, quolibet anni tempore facile corrumpi, aut gangræneſcere. Hinc caveat medicus ab applicatione veſicantium, præſentibus hisce humorum vitiis, aut ſaltem loca cantharidibus ſemel tentata, non iterata cantharidum applicatione excruciet.

6) Aliud veſicantium incommodum eſt, ut humores vehementius ad caput urgeant, venenorum inſtar, quæ excretionem urinæ & alvi impediunt. Hinc a cantharidibus applicatis facies rubet ardetque, cephalalgia, delirium, convulſiones. Præſente itaque aliqua capitis affectione veſicantia ſumma cum cautela applicanda ſunt.

7) Stimulus, quem cantharides exſerunt, non protinus, ſed ſæpe integro triduo duraſſe obſervatus eſt. Hinc vehemens illa ſitis, de qua in prioribus dictum eſt, & *cantharidum ſitis* a *Baglivio* appellata. Niſi itaque grave aliquod ſymptoma id poſcat,

a repetita veſicantium applicatione abſtinendum eſt.

Cum igitur de uſu veſicantium in febribus putridis quæritur, probe conſiderandum, quænam nocumenta aut emolumenta a cantharidibus exſpectanda ſunt, iisque inter ſe comparatis, id, quod optimum videtur, eligendum eſt.

Radix arnicæ in ſubſtantia ad drachmam β — dr. j. omni bihorio datur in diarrhæis putridarum non levantibus, ſed ortis ab atonia. Convenit autem pulſu accelerato, molli, debilique, viribus labeſcentibus. Sunt perpauci inter noſtrates, qui inde vomunt.

Camphora celebre pariter antiſepticum remedium habetur. Convenit pulſu celeri mollique, facie pallida collapſa, delirio taciturno, artubus frigidis. Camphora autem eſt calefaciens, excitans remedium, humores verſus caput urget, plethoram auget, & inflammationem. Hinc ſolummodo convenit in vera virium vitalium proſtratione.

Datur in emulſo ad gr. x. xv. dr. β. intra viginti quatuor horas. Item in pulvere ad gr. j. ij. iij. omni bihorio, trita cum pauxillo ſacchari, & irrorata paulo liquore anod. m. H. Vel vero mucilagine ſubacta in mixturis,

Ana-

Analogam camphoræ virtutem vinum poſſidet rhenanum, antiquum auſtriacum, *parce frequenterque* datum.

Eadem indicatione adhiberi poſſunt radix angelicæ ſerpentariæ virgin. contrayervæ in pulvere, in infuſo.

Item acida mineralia dulcificata.

Ultimo loco acida mineralia memoranda veniunt. Ad unc. ß. etiam plures uncias quotidie data conveniunt in febre putrida, bilioſo-putrida, pulſu pleno, accelerato, ſed molli, calore magno, facie rubra, delirio furioſo. Dantur cum ſeptuplo ſyrupi, cum cremore hordei, mucilagine gummi arabici &c.

Huc etiam pertinent actu frigida in magno æſtu bilioſo-putridarum, abſente omni inflammatione. Potulenta frigida mirum recreant ægros in hac febre, æſtu magno præſente, & ingenti cephalalgia. Aër perflatus, recens delirantes ſæpe ad mentem reducit. Experimentum media hyeme quondam in noſocomio eſt inſtitutum. Curantur ruſtici hac fere ſola methodo in Hungaria, ubi frigidam glacialem bibunt, cubantes in umbra, perflato loco. Sæpe deliri, qui fuerant domi ſuæ, dum ad nos deportantur, reſipiunt; at apud nos in cubiculo concluſi

deli-

delirant denuo. Actu frigida, aërque recens, quantum proſit in varioloſa febre, vidimus. Qui mortuus credebatur, a pavimenti frigore reviviſcere cepit, referente *Sydenhamo*. Brachia, frons, manus lavari poſſunt frigida; epithemata frigida ad frontem, ventriculum; potus frigidi.

Alumen ipſum, ſerum lactis aluminoſum adhibentur eo fere modo, & ſub iisdem conditionibus, ubi acida mineralia. Jungi variis adhuc aliis antiſepticis alumen poteſt.

Diæta in febribus putridis apta inſtituatur, *excarnis*, conceſſis tamen juſculis, ſine lacte. At cremor hordei, oryzæ, ſago, panatellæ, ſucci fructuum horæorum cum aqua ribes, berber. Item ceraſa, pruna, poma cocta.

Ubi ſaburra putrida, ibi acida, aut aceſcentia; ubi diarrhæa non levans, ibi mucilagines; ubi ingens virium proſtratio eſt, ibi vinum *parce*, ſed frequenter datum, ibi ſerum lactis vinoſum conveniet.

Actu frigida concedenda.

Animus ſæpe erigendus.

Ægro mox cuſtodes apti dandi ſunt, iique de poſtmodum agendis probe ſunt inſtruendi. Schola eſſet neceſſaria, ubi boni ægrorum cuſtodes erudirentur. Præplacent

fœmi-

fœminæ præ viris; multi pereunt ob negligentiam cuſtodum.

Partiri laborem debent inter ſe bene. Cur tot ſæpe eadem febre ex ordine ægrotent, cauſa eſt ineptum ſervitium.

Prognoſis febrium putridarum.

Inter ſymptomata infauſtum in febribus putridis præſagientia a *Stollio* §. 503 enumerata, peculiarem attentionem merentur parotides.

Humor his tumoribus contentus non ſemper infeſtat glandulas, ſed in cellulari cingente illas ſedem ponit, & *Morgagnius* a) non tam in ipſa glandulæ ſubſtantia, quam inter communia potius ejusdem integumenta hos humores deprehendit; facillime enim ſæpe numero parotides has reſolutas vidit, quam in infarcta glandularum ſubſtantia vix votis aſſequi poſſumus; ſuppurato curatoque tumore, glandula munere ſuo perfecte cum fungatur, haud fuiſſe parotidem, quæ ſuppuratione conſumeretur, merito concluſit: accedit tumoris æqualitas ſibi haud correſpondens.

a) Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Ep. 50. No. 4.

Mag-

Magnitudo parotidis ex ſolo externo intuitu æſtimanda haud erit, cum interdum molem ſuam introrſum magis producat, quam læſa tum deglutitio, tum reſpiratio demonſtrant; minorem hinc æque pro morbi magnitudine, ac multo majorem periculo haud carere, teſtatur *Hippocrates*. Tempus, quo in morbis parotis ſupervenit, incertum omnino eſſe, obſervationibus conſtat: inde eſt, quod periculum, aut morbi emendationem ex celeriori aut tardiori eruptione vix exſpectes, cum duodecima, æque ac ſecunda morbi die, ſymptomaticam parotidem videre licuerit.

Non raro conſtitutio quædam epidemica præ cæteris in tales metaſtaſes propendet. Parotides epidemicas cum delirio in conſtitutione epidemica Auguſtana obſervavit *Schrœckius* a); epidemicas vidit *Foreſtus* b), *Ramazzini* conſtitutionem epidemicam deſcribit agro Mutinenſi funeſtam, ubi parotides, ſuppurantes licet, contumaciſſimas illas febres haud ſummovebant c).

a) Miſc. nat. cur. dec. 3.
b) Obſerv. & curat. med. C. 17. obſ. 16.
c) Miſc. nat. cur. dec. 2. ann. 2.

Imminere parotidem determinatu impoſſibile eſt, niſi forte ex conſtitutione no-

ta

ta aliquid eruere poſſis. Superventuram eſſe parotidem in febribus aliqua phænomena ſubinde indicant, *Hippocrati* jam nota: ita ex alvina depoſitione illam prædixit; in bilioſa alvo molli, ſtercorea egerente apparentes æſtus tumorem ad aures excitant; & glutinoſas, bilioſas dejectiones præ cæteris abſceſſus juxta aures, in *Coacis* obſervavit. In febribus autem putridis continua alvi tarditas ſolis clysmatibus ſolubilis, aut valde laxa parotidis ſignum prognoſticum *Hippocrates* conſtituit. Urinæ crudæ, cutis ſicca, vel capitis affectiones, e. g. agrypnia, cephalalgia, coma, parotidem prænunciant, qui urinas tenues & crudas multo tempore reddunt, ſi reliqua ſigna ſalutaria ſint, in his abſceſſus exſpectari debent. Et alibi ait a), conſiderandum, in quibus ſperamus abſceſſus circa aures futuros, num ex capite doleant, aut ſuperiorum partium tenues ſudores oboriantur, aut novus inſuper rigor, ac deinde, num alvus copioſe prorumpat, aut aliquo ſopore detineantur: videndum quoque, num urinæ dilutæ, cum ſublimibus quibusdam innatantibus albidis, & quæ varie exalbeſcunt, & graveolent, abſceſſus ad nares excitent. Sopor ſæpe antecedit, vigiliæ, deliria, ſurditas, difficultas, & multa

ta alia ſymptomata prænuncia adeſſe poſſunt, quibus tamen ſolis confidere medicum haud licet.

a) Prædict. L. I. & Coac. n. 203.

Quod vero periculum adſit, ſi parotis oriatur, ex prioribus patet, cum a magnitudine tumoris, atque ab illius malignitate omne illud plus minus dependeat; ſi magnæ ſit molis, partes adjacentes comprimi neceſſe eſt, inde tumores capitis, ſurditas, cephalalgia, deliria, ſtupor, ſopor, apoplexia, ut refert *Morgagni* a), ab infarctis vaſis, indeque ſequente extravaſatione ſalſamentarium e medio ſublatum. Angina ſuffocatoria a compreſſis viis reſpirationis, deglutitionis ſequitur; in epidemia febris catarrhalis ſcarlatinæ, refert *Reiman* b), ſæpe huic jungebatur; exulcerationes tonſillarum & gulæ cum rubore & inflammatione totius iſthmi faucium, atque ſerius parotidum & glandularum colli diffuſi tumores, ſine diſcrimine ſubjectorum, niſi quod, quo plus ab ætate quadrenaria aderant, eo certius citiusque hos tumores adepti ſint, ita, ut intra paucas horas retracto in cervicem & poſteriora capite, oppletione narium mu-

cosa,

coſa, & reſpiratione ſtertoroſa jacerent, ac intra ſeptem octove dies ſuffocarentur.

a) Morgagni L. c. Ep. 4. n. 24.
b) Wratislaw. Obſ. 25.

Varius parotidis exitus obſervatur.

I. Reſolutio, eaque variis modis.

1) Si parotis a benigna materie producitur, bonæ reſolutionis ſpes eſt; quam variis molitur modis natura, vel primo per ortam ſalivationem, aut expectorationem, juxta obſervationem *Hippocratis* a) tuſſis cum crebra oris ſalivatione abſceſſus circa aures emolliunt. Pulchrum quoque in obſervationibus medicis b) exſtat exemplum, ubi intumeſcentium parotidum ſubſequente ptyalismo natura criſin feliciter molita eſt.

a) Prædict. I. n. 167.
b) Wratislaw. obſ. 2. p. 19.

2) Uti diarrhææ ſupervenit parotis, ita non infrequens parotidis per diarrhæam judicatio. Sub ipſa dyſenteria parotides ortæ, illa pergente iterum evaneſcunt, imo aliquando parotides ad ſuppurationem ductæ, superveniente alvo diarrhæica, purulenta ſubſidere poſſunt. Hujus quoque parotidis ſolutionis *Hippocrates* mentionem facit, dum ait:

ait : quibus febre judicatorie deſinente tumores ad aures in febribus cum dolore ſuborti, neque conquieſcunt, eos bilioſum alvi profluvium, aut inteſtinorum difficultas liberat a).

a) Epid. I. Sect. 2.

3) Per urinas : facile per renes puris ſeceſſum eſſe, hiſtoria medica teſtatur; copioſæ tunc urinæ adſunt cum ſedimento lateritio, quibus pergentibus tumor imminuitur. Si ſtatim ex urina ſecedat corpus cremorem lactis referens, verum pus erit; ſed ſi urina jumentoſa primum fiat, dein poſt horas deponat materiem, non erit pus alibi generatum, & per urinam evacuatum; ſed alia materies; ait enim *Hippocrates* a) : quibus tubercula ad aures enaſcebantur, ea die vigeſima diſcernebant; ſedata autem ſunt iis omnibus, quibus non ſuppurarunt, ad veſicam tamen ſe converterunt.

a) Epid. L. I. Sect. 2.

4) Sudore; ampliſſimo enim hoc colatorio materiei alibi depoſitæ fieri poſſe evacuationem, epidemiæ animalis leges docent, experimenta confirmant, teſte *Gohlio* a), qui in conſtitutione epidemica Berolini brevi

per-

periodo, ſola diaphoretica intra quatriduum, experientia ductus, ſolvere parotides didicit. Sudoribus non quidem tumultuariis, ſed moderatis, tranſpirationem auctam parum excedentibus, parotides illas, quas ſine ulla ſenſibili materiæ evacuatione ſolutas auctores memorant.

a) Acta med. Berolin.

II. Alter parotidis exitur ſuppuratio eſt: uti enim omnes tenſæ & ſanguine infarctæ inflammationi ſubjacent, & cum reſolvi non facile poſſunt, ſuppurant; parotis quoque huic legi ſubmittitur; pus formatum ſibi aliquando viam facit variam, aut in jam præſentem, ut in ductum ſtenonianum, prorumpit, in aures ipſas, quod ſemper timendum, cum ſæpe ſurditatem relinquat; etſi materies purulenta per aures evacuata viſa ſit, nec minimo relicto vitio. Quando per ſuppurationem ſolvitur parotis, videndum, an prius illud pus alibi generatum ſit, & per metaſtaſin ad illum locum delatum, vel vero ipſe tumor in ſuppurationem abierit. Naturæ bonitate contingere videmus, ut pus aliquando in parotide factum ad aliam deferatur viam, facile evacuandum, e. g. alvo purulenta, vel urina ſimili parotis ſol-

vi frequenter obſervata eſt: ex glandula ad artus pus depoſitum haud inter rara exempla habetur. Sic ob alvi ipſius ſanam conditionem, & facilis puri exitus conciliari, & ipſum ulcus felicius ſanari poterit. Miras quoque vias pus ſibi parat, ut & in thoracem ipſum transmittatur, immedicabili inde ſecuto empyemate, ob ſeram parotidis ſuppuratæ aperturam. Prioris genii, inquit *Frid. Hoffmannus* a), ſolent eſſe illæ affectiones, quæ inveteratos, valdeque duros parorotidum tumores inſequi ſolent. Vidimus aliquoties ab applicatis externis gravia, & vix ſanabilia pulmonum vitia, aſthma, phthiſin, tabem productam fuiſſe, dum noxius & valde cauſticus a diuturna incarceratione humor e ſua ſede expulſus, per poros & interſtitia usque ad pulmones penetraverat, cujus membranis & veſiculis firmius inhærens acrimonia ſua tot malis anſam dedit. Vidimus inſuper oris & linguæ ulcera a parotidibus ſuperveniſſe.

a) Frid. Hoffm. med. rat. T. III. Sect. 4.

III. Ulcus fiſtuloſum, corpus depaſcens, ſæpe poſt parotides videre eſt, præcipue ſi obſequioſior nimis chirurgus ad prima ſtatim puris apparentis ſigna tumorem incidat, malig-

malignæ, ut putant, materiæ educendæ cauſa: pars obſtructa haud amplius in bonum pus coquitur, ſed ulterius ſerpendo ob ipſum profundum parotidis ſitum fiſtulas facit, ex materie continuo reſorpta tabem immedicabilem creat.

IV. Infauſtiſſimus exitus in gangrænam eſt; ab exceſſu enim inflammationis, vel ab humore contento adeo pravæ indolis absque inflammatione in gangrænam abit: dari poſſe gangrænam prævia inflammatione, experientia teſtatur. Vidimus fœminam in noſocomio eryſipelate laborantem, quæ ab ejus retroceſſione ad inteſtina intra ſpatium horæ, vel minime de dolore conqueſta moritur; aperto cadavere inteſtina gangrænoſa deprehenſa fuerunt, Triſtem hunc parotidis exitum in febri epidemica Nœrdlingenſi obſervavit quoque *Geſnerus*, ubi a morte niger dextræ parotidis tumor conſpiciebatur.

V. Glandulæ ſemel infarctæ ob lentum in illis humorum motum ita indurantur, ut adhibita quacunque cura vix reſolvi poſſint, tuncque ſcirrhus dicitur; tali quoque modo afficitur parotis, etſi quacunque de cauſa exacerbetur, in cancrum facile vertitur. Quam male inde ſibi proſpiciant miſeri illi, patet, qui imperitorum verbis confiſi, certam re-

mediis quibuscunque ſcirrhi ſolutionem & ſperant, & exigunt: reſtantem per remedia fortia ſanitatem in illis debere deſtrui, aut ſcirrhum hactenus benignum in peſſimum mutari debere cancrum, quilibet pathologiæ principiis imbutus videbit.

In ſcirrhum vel maxime illæ parotides ſolent degenerare, quæ ſine manifeſta inflammatione pullulant, idque accidit temperamentis pituitoſis, ſcrophuloſis; hunc tumorem vidit *Celeb. Iſenflamm* a) pravis tractatum remediis, vel etiam ſponte in ulcus apertum, atque inſanabile ſcrophuloſum abiiſſe.

a) Nov. act. N. c. Tom. V. obſ. 49.

VI. Retroceſſio parotidis absque ſequente alia evacuatione ſemper periculoſa, cum timendum, ne facile ad alias partes transferatur. Multiplex periculum, & varium pro varietate affecti viſceris & neceſſitate ad vitam tunc ſupervenire videtur: ſic febris a retroceſſa parotide oriri poteſt nova, priori pejor, fractis nempe viribus. Ita vidit *Iſenflammus* parotidem die morbi ſeptimo, nono, undecimo, cum ſigno coctionis & levamine obortam, materie ſine dubio retroceſſa, re-

pente

pente diſparuiſſe, febremque periculoſam inde ortam.

Subitam hanc retroceſſionem ipſe damnavit *Hippocrates* a), graves, inquiens, aurium abſceſſus, qui circa judicationem ſenſim conquieſcunt, & diſſipantur, damno ſunt; paucos ſolummodo caſus alio loco affert b), in quibus evaneſcentes parotides absque ſecuta evacuatione innocuæ fuere; ſed cum rariora exempla ſint, & in mitiſſimas ſolummodo parotides cadant, harum retroceſſio a periculo abſolvi non poteſt. Applicatis licet optimis maturantibus, ſolutio ſubinde impoſſibilis, & materies in alium locum transfertur, neque derivantibus, neque eccoproticis impedienda. Si materies hæc maligna ad nervos incumbat, in irritabilibus paralyſes, convulſiones excitat; anginam cum parotide in puella quadam vidit *Haenius* c), quæ reſoluta, convulſa periit.

a) Hipp. Prædict. L. I. N. 170.
b) —— Epidem. L. II. Sect. 2.
c) Haen. Rat. med. Vol. I. p. 305.

In prognoſi parotidis facienda, ſemper conſideranda tanquam morbus proprius; ſemper enim in dubio hærere poſſum de ejus exitu, cum ægri pereant & præſente, & ſup-

purante parotide, aut etiam nulla apparente, quod in febribus præcipue putridis locum habet.

Cum practici vix aliquam in parotide ſpem ponant, pejor ſemper erit

1) Si illa apparente ſymptomata alio morbo ſuperveniant, vel maxime inflammatorio.

2) Mala quoque, ſi cauſa doloris ſit, de quo etiam *Hippocrates* a) tali in caſu ita dicit: quæ cum dolore oriuntur ad aures tubercula, perniciem minitantur; & *Baglivius* b) inquit, parotides rubræ, nimium doloroſæ, ſive ſint participes, ſive expertes ſuppurationis, periculoſæ, præſertim, ſi alvus non fluat, bilioſis.

3) Si valde magna fuerit, ut antea vidimus, qualia mala ſupervenire poſſint, cum plerumque vires ipſius ægri ſuperet.

4) Si ſtipetur convulſionibus, aut aliis morbis nervorum.

5) Parotis non ſuppurans, aut pravi puris. Ait enim *Hippocrates*: parotides ex acutis morbis maxime in febribus ardentibus fiunt, & ſi non judicationem fecerint, & matureſcant, aut ex naribus ſanguis fluxerit, aut urinæ ſedimentum craſſum habuerint, pereunt c). Et alibi: ex febri ardente

dente abſceſſu circa aures non ſuppurato, raro ſervantur d).

6) Malam parotidem vocare poſſumus, quæ alvum fluidam fœtidamque junctam habet: in plurimis graveolentibus dejectionibus cum febre acuta, præcordiorum contentione, ex longo intervallo oborta ad aures tubercula mortem adferunt e).

7) Materia ad locum evacuationi ineptum, reſorptioni autem idoneum depoſita.

8) Si parotis haud facile cedat remediis, ac in ulcera ſanioſa mutetur, vel in ſcirrhum.

Ex contrariis ſignis bonam ejus prognoſin facile concipere poſſumus; ſi enim cætera ſymptomata, ſi parotis ſuccedat vigentibus adhuc viribus ægri, nec tamen magnitudine excedens; præcipue vero, ſi coctio morbi prægreſſa fuerit: raro enim, ſi primis morbi diebus ſuperveniat, levamen aliquod obſervatur f).

a) Hippocrat. conc. No. 1.
b) Bagliv. Prax. med. L. I.
c) Hipp. coac. prænot. No. 208.
d) —— Coac. No. 859.
e) —— —— No. 201.
f) Rivolti diſſ. de parotide. Viennæ 1782.

Parotidis ante omnia reſolutionem oportet tentare, quod eodem modo fit, ac in

aliis tumoribus inflammatoriis. Parti itaque affectæ emollientiſſimum cataplasma applicetur, uti *Celſus* jam monuit: ſi quæ circa aures duriora, ad ea mollienda malva contrita, vel fœnu græci, linive ſemen ex paſſo coctum ſuperaddendum eſt, aut fotus forma, aut vaporis a). Interne febris præcipue ratio habenda eſt. Itaque emetica, cathartica parotides jam obortas in febre putrida curarunt. *Stollius* caſum fœminæ refert, quæ initio Junii inhorruit, æſtuavit modo erroneo, cibi aderat faſtidium. Elapſo quatriduo parotis ſiniſtra prætumida dimovere maxillas prohibet. Ad nos venienti datum eſt hordei decoctum cum oxymelle & ſale medio; demum emeticum: unde bilis plurima flava atque æruginoſa ore, alvoque rejecta eſt; mitior febris & parotis multo minor. Emeticum ternis adhuc vicibus repetitum, biduo, triduove ſingulis vomitionibus interpoſito. Copioſa ſemper educta bilis, cum luculento levamine, donec poſt ultimam emeto-catharſin, & febris nulla fuerat, & tumor nullus. Obſervationibus certis docemur, tumores dolorificos articulorum, parotidum, glandularum, locorumque pone apophyſes maſtoideas, excitari a ortio procul remoto ſyſtematis gaſtrici videlicet, eo-

que

que bilioſo; ea res difficiles explicatus habet; ſed ſufficiat, obſervationes haberi certas, etſi earum nos ratio fugiat.

a) Celſus.
b) Stoll. rat. med. Tom. II.

Cum vero non ſemper in poteſtate medici ſit, ſedare inflammationem, præcipue dum magna, aut ab initio neglecta, quod ipſi jam *Galeno* notum fuit, magni ſiquidem ait morbi judicantur omnino, parvi ſolvuntur ſolum. Ad ſuppurationem tunc perveniat. Si itaque elapſum tempus reſolutionis fuerit, maturato iisdem emollientibus promovenda, quæ pro benigna reſolutione neceſſaria eſſe ante vidimus. Eſſentialia enim maturantia atque emollientiſſima remedia discrimen haud intercedere ex eo dicitur, quod materiæ obſtruentis craſſities atque indoles, vaſorum major minorve mollities non remedia ſolutionem aut maturationem determinent.

Indicat vero pus eſſe factum, remiſſio doloris ſpontanea, mollities & fluctuatio, in medio plerumque notanda, prominentia, & ſenſus gravitatis. Apertura facta, cruciali inciſione, ac pure educto, ulcus mundantibus, digeſtivis, balſamicis, uti in aliis ulceri-

ceribus fieri ſolet, ex artis regulis perſanetur.

Circa aperturam autem tumoris non omne tempus æque aptum eſt, neque ipſa parotidis dnratio tempus aperturæ indicat. Cum enim periculoſum ſit, aperire tumorem ante perfectam maturationem, ſimulque plurima mala oriri poſſint, ſi pus factum nimis diu relinquatur in loco clauſo; ideo magna diligentia inquirendum in tempus aperturæ opportunum. Plena atque perfecta totius tumoris ſuppuratio pus educendum eſſe admonet; citius enim ſi incidas, ulcus fiſtuloſum evitare haud poteris. Uti enim officioſa nimis diligentia exitum conciliare puri quidam ſtudent: ſic alii nimis diu exſpectant; pus relictum mox acrius factum vicina arrodit, vias ſibi parat profundas, ſinuoſas; acrius factum, attenuatum, reſorptum maſſam ſanguinis inficit, ſolvit, febrim hecticam, mortem ſæpiſſime inducens, ſponte aliquando pus ſibi viam facit; aſt ſæpe arte chirurgica opus eſt.

Quod ſi gangræna ſuperveniat in parotide pravo, livido colore doloris plenaria ceſſatione cognoſcenda, antiſepticis locus eſt: interne vinum rhenanum, cortex peruvianus, camphora, radix arnicæ: externe

ſca-

ſcarificatio, fomenta aromatico-antiſeptica ex ruta, decocto corticis peruviani, ſalicis albæ, vel & additis his aceto antiſeptico, camphora locum habent.

Univerſim de præſagiendo fauſto aut infauſto exitu febrium putridarum, ſequentia notanda ſunt:

1) Febres putridæ a ſaburra primarum viarum minime omnium periculoſæ ſunt, ſi recta medendi methodus accedat. Sæpe enim ejusmodi febres putridæ late graſſantur, exiguo tamen mortuorum numero. Subinde petechias junctas habent, unde febres petechiales vocantur, quæ tamen raro lethales evadunt; ut ideo falſum ſit, omnem febrim petechialem periculoſam eſſe.

2) Febres putridæ ſimplices, absque topica quadam viſcerum læſione, minus periculoſæ; at ſi e. g. caput, thorax ſimul afficitur, majus periculum imminet. Singularis enim nobilis alicujus viſceris, e. g. pulmonum inflammatio, generoſam methodum antiphlogiſticam, venæ ſectiones largas, atque methodum refrigerantem requirit, tamen remediis febribus putridis minime convenit.

Minus periculum ſubeſt, quamdiu vis vitæ modice adhuc intenditur; tunc enim

ſpes

ſpes ſupereſt, fore, ut natura medicatrix materiam morbificam ſubigat, atque ex corpore eliminet. Quodſi vero mox in initio vires nimis dejectæ ſunt, ſummum periculum imminet, ne natura in hac cum morbo colluctatione tandem ſuccumbat.

4) Quo major virium vitalium languor, quo major ſtimulantium remediorum neceſſitas, eo periculoſior hæc febris eſt, cum vix aliqua materiæ morbificæ ſubigendæ eliminandæque ſpes ſuperſit.

5) Quo plures notæ fauſti febris putridæ exitus obſervantur, eo certior erit de ſanitate recuperanda prædictio.

6) Quo plures autem notæ infauſti exitus junctim apparent, eo certius lethalem exitum prædicimus; dantur enim, uti monuimus, quædam ſigna, quibus præſentibus vix unus alterve æger ſervatur. Id autem in genere monendum, prædictiones in morbis acutis, ſeu vitæ, ſeu mortis, maxime incertas eſſe.

Reliquiæ febrium putridarum.

Inter communia ſymptomata & effectus putridarum febrium jam judicatarum, §. 509 enar-

enarrata, ſequentia potiſſimum conſiderari merentur.

Auditus gravis, ſeu baryacoia: diſtingui debet ab auditu gravi adhuc graviter febrientium. Boni plerumque ominis eſt, ſi cætera bona ſunt, aut ſaltem non pejora; diu manet in convaleſcentibus, tandem abit in tinnitum. Sanatur tonicis & tempore.

Aliud ſymptoma eſt poſt putridas fatuitas, delirium leve, quod æque, ac mania poſt intermittentes nimiis evacuationibus ſanguineis aut gaſtricis tractatas, purgantia remedia minime fert, ſed confortativam methodum exigit.

Febricula veſpertina; ſudor nocturnus; debilitas chronica in aſcenſu per ſcalas & deſcenſum perceptibilis. Fames canina; recidivæ; febres intermittentes depaſcentes & lentæ.

Velox corporis, idque nimium incrementum, quod ex peculiari ac ætatem ſuperante mole corporis cognoſcitur; at robore *muſculari* pauco, itemque genubus maxime, etiam aliis articulationibus proportionate multo majoribus. Tunc autem cortex, & aquæ frigidæ balnea proſunt.

Pleriſque tonica, aër ruſticanus, equitatio, infuſum frigidum corticis proſunt,

ſco-

ſcopo roborante. His autem diu eſt inſiſtendum.

Æger manu mittendus non eſt, niſi ſuperius enumerata ſymptomata penitus disparuerint, & niſi priſtinus redierit ſanitatis vigor, præcipue, ſi fuerit ſexus ſequior. Fœmina tunc ſolum ſe ſanam repetet a morbo ejusque ſequelis, ſi ſaltem bis redierint ex lege catamenia conſueta.

Graves ejusmodi reliquias in ſe ipſo poſt morbum acutum *Stollius* in Hungaria perpeſſus eſt:

„Poſt morbum meum acutum, nimiis per venæ ſectionem evacuationibus curatum, ſequentia ſymptomata paſſus ſum. Vigiliæ erant continuæ, ita ut ægre per horam, atque id interruptim dormiverim.

Aſſumpto potu frigidiuſculo urina mox excernebatur limpida, aquoſa penitus, frequens, copioſa, cum antecedente ſenſu quaſi globorum ab abdominis ſuperiori parte deorſum verſus renes decurrentium.

Inſignis animi dejectio, deque recuperanda ſanitate deſperatio. Mens mobiliſſima ad indignationem & iram, ob leviſſimam cauſam, ut memet ipſe ſæpe miratus fuerim. Terrores ſubiti, caloresque ſubito aſcendentes, cum ſudore per totum corpus erumpente,

pente, ac ſi quis me aqua calida ſubito perfudiſſet & inopinato, ita terror, calores, & ſudores in momento quaſi ſe ſubſequebantur, ſæpiſſime per diem contigit. Pulſus etiam in quiete valde celer, in motu corporis etiam levi celerrimus, cum palpitatione cordis. Decumbens noctu pulſum in thorace cordis auribus facile percepi; ſudores noctu copioſiſſimi, appetitus vegetus. Sumpto cortice peruviano per longum tempus, quotidie ad unc. β., ſudores ceſſarunt. Aliquoties me ſanum exiſtimans corticem intermiſi, at tertio, quartove poſt intermiſſum corticem die, ſudores redierunt. Poſt duos fere a morbo acuto menſes dolorem habui in capitis parte capillata, ut contra capillorum ordinem manu caput fricare ob dolorem non potuerim, dolor ſubinde hypochondrii ſiniſtri ad attactum major. Dolor muſculorum intercoſtalium ſubinde ad attactum major. Demum incepi acido laborare. Omnium tamen minime pinguia, cremorem præcipue lactis ferre potui. Vidi ſtudioſum medicinæ, qui acuto morbo tentatus nimias venæ ſectiones ſibi fecit, dejecto animo ſummopere poſtmodum laborantem, & urinas limpidiſſimas & copioſas excernentem.

Prophylàxis.

Prophylaxis a febre putrida quænam erit? Reſpondeo, eam non quærendam eſſe in *fuga* contactus ægri putrida laborantis, nec in uſu *alexipharmacorum*, aſſumptorum vel maſticatorum, nec in frequenti aut *purgatione* aut *emeſi*, neque in *phlebotomia*, neque in hac omnium minime, niſi id genus remedium ob præſens malum indicetur.

Remedium prophylacticum, ſtricte ſic dictum, nullum datur.

Proſunt tamen præ cæteris ad ſynochum putridam avertendam:

1) Conſuetum vitæ genus non mutare repente, neque quidem in melius, & lautius.

2) Aëre libero uti frequentius, neque diu morari in ægrorum cubiculis, eaque non ingredi, niſi prius *aperta* & *perflata.*

3) Vitare cruditatem & errores diæteticos.

4) Vitare quam maxime ſuppreſſionem perſpirabilis materiæ. Contingit frequentiſſime, ut unica hæc cauſa ſit excitans diverſiſſimorum morborum, pleuritidis e. g., febris bilioſæ, putridæ, dyſenteriæ, rheumatis varii &c., prout varia fuerit epidemia.

5) Non

5) Non nimium metuere contagium, utpote nullum.

6) Ad primum laſſitudinis, vertiginis, cephalalgiæ, anorexiæ, horripilationis initium non ſtatim terreri, atque non ſtatim ad magna & heroica remedia confugere. Quies enim, diæta tenuior, vacuitas a curis, aër recens, ſiccus, liber, campeſtris, limonada, cremor tartari, clyſter &c. morborum putridorum initia perſæpe pulchre propulſant.

Præſervari poſſent integra regna ab epidemica febre putrida nonnunquam, ſi eam excipias, quæ a prava diatheſi atmoſphæræ provenit. Hunc in finem coloniæ in loca ſicca, elataque deducendæ; ſiccandæ paludes variis modis, & aquæ ſtagnantes in motum deducendæ. His enim in locis quartana eſt *endemica*, & ejus ſequelæ, hydrops, icterus &c.; putrida autem ſæpe eſt *epidemica*. Vidit hoc *Stollius* in valle Ippolſagienſi in Hungaria.

Habitationes humanæ ad regulas ſanitatis conſtituendæ eſſent, non ad arbitrium.

In anguſtis, depreſſis, infra terram tuguriis peſſime habent.

Prohibenda annonæ penuria publicis tritici *conſervatoriis*, vel pane bis cocto con-

ſervato. Mirum eſt, non eſſe ubique hunc morem, ut quilibet haberet in publico granario, quantum requiritur in annum.

Opulentia populi rariores facit putridas; victus melior, vinoſus, uti & veſtitus, & habitatio.

Removenda, quæ aërem putridum faciunt, & nocivum; cœmeteria, lanionum officinæ; fimeta, cloacæ &c.

Phyſici medici bene eruditi, utique in provinciis poſiti, & in noſocomiis inſtructi Agyrtæ proſcripti, & quicunque artem non docti, illam tamen exercent.

Relationes cito faciendæ ſunt in epidemiæ gravioris ingreſſu ad collegium medicum.

Corollaria practica.

1) Febris putridæ præſentia ex ſola virium vitalium debilitate cognoſcitur. Ea autem debilitas cum ſæpe fictitia ſit, ut in his commentariis pluribus in locis monuimus, cavendum eſt, ne *apparentem* debilitatem pro *vera* habeamus.

2) Difficillimam vero eſſe, & non niſi ipſo artis exercitio comparandam virium vitalium æſtimationem, facile patet conſideranti,

ranti, nullam nos habere virium harum ſcalam, ad quam antiſepticam medendi methodum exigere poſſemus.

3) Febres putridas ſaburrales cæteris frequentiores eſſe diximus; hinc plurimus eccoproticorum, & longe rarior antiſepticorum uſus. Pejor autem ſtatus inducitur remediis hisce vehementer excitantibus; & inflammationibus non raro diriſſimis, aut depoſitionibus lethalibus inde ortis, vix in medico eſt tantis malis mederi.

4) Subinde in febris putridæ initio, non raro ſerius a methodo calefaciente, ſtimulante, inflammationes latentes thoracis oriuntur, vix aliter, niſi reſpiratione læſa detegenda.

5) Cum ægri febre putrida detenti aut ſtupidi, aut deliri de partis cujusdam affectæ dolore non conquerantur, ſedulo quotidie ſunt examinandi, an non adſit meteorismus veſicæ, vel partes cubando preſſæ gangræneſcant.

6) Complicatio putridæ febris cum inflammatoria omnium peſſima, cum methodus, quam inflammatio expoſcit, virium vitalium ruinam promoveat.

7) Tranſitus febrium bilioſarum in putridas frequentius obſervatur, cum evacua-

tionibus gaſtricis ad eliminandam materiem bilioſam neceſſariis, vires vitales labefactentur. Perſæpe mala methodus medendi hanc febris bilioſæ degenerationem accelerat, ſi ſcilicet evacuationibus gaſtricis præter modum, aut etiam ſanguinis miſſione larga, vis vitæ frangatur. Quod autem in epidemias bilioſas, & pituitoſas ſæpius una incidat ſynochus putris, id ab univerſali anni temporis vitio pendet; calidum enim humidumque aëris vitium, quod bili & pituitæ gignendæ favet, vim quoque vitæ potenter dejicit.

8) Si in febre putrida epidemica viſcus quoddam præcipue affectum ſit, ſolent ſæpe medici ab hac læſione morbum nominare; hinc angina putrida, pleuritis putrida &c.

9) Cum certa obſervata doceant, præſente vera virium vitalium debilitate, neque ſanguinis, neque aliorum humorum diſſolutionem ſemper adeſſe, patet, humorum diſſolutionem non neceſſarium eſſe febris putridæ effectum. Sed inde ſolum mos hic loquendi, *putrida febris*, obtinuit, quod præſente tali virium vitalium ſtatu, qualis §. 489 — 90 deſcribitur, perſæpe ſanguinis diſſolutio ſoleat una obſervari.

Videamus nunc, quo modo ipſe *Stollius* in ſanandis febribus putridis, quas illi

Vien-

Viennæ contigit obſervare, ſeſe geſſerit. Ampliſſima occaſio ſeſe obtulit anno 1777, cum febris æſtiva bilioſa latiſſime regnaret. Varias itaque auctoris de febribus putridis cogitationes hoc tempore conſignatas adducam a).

a) Stoll. Rat. med. T. II. p. 201.

Annus 1777.

Multa adhuc ſuperſunt, quæ, prout memoriæ occurrunt, narrabo, per æſtatem potiſſimum obſervata.

Sic pulſus exiles, & ferme ſub digito evaneſcentes, celeresque in febre æſtiva ſæpius deprehendi. Tunc vero inquirendum fuerat, quænam ex duabus cauſis, quarum ſingulæ exiliſſimos pulſus faciunt, obtineat; ſubinde enim vera aderat virium jactura ob multas, largasque ſanguinis miſſiones, & ſymptomaticum ac grave profluvium alvi, at tunc, utut ægri multa ſubinde fæce putrida abundarent, pravorum licet ſuccorum evacuationem non tulerunt.

Puella phlebotomiis, priusquam ad nos deportaretur, ad incitas jam redacta, poſt lenem emeſin, rejectaque multa licet, & amurcoſa bile, lapideum artuum frigus exhi-

 buit,

buit, pulſibus arteriarum omnino abolitis, & morte, quam forte poſt aliquot primum dies, non propinato emetico obiiſſet, paucis ab emeſi horis inſecuta.

In hac *vera* debilitate *directam* medendi methodum ope emeto-catharſeos jam non amplius poteram adhibere, ſed viribus vitæ conſulendum decocto corticis, radicis arnicæ infuſo, vinoque fuit, ut vires vitæ erigantur, erectæque aut ipſæ morbificam materiam coquant, eliminent viis & modis variis, lente equidem & cum diſcrimine, & per ambages.

Subinde ægri ex hac ingenti imbecillitate refocillati leniorem emeſin *ſerius* utiliſſimam experti ſunt, quæ ſtante illa exigua vitæ vi, & citius inſtituta enecuiſſet.

Veſicantibus in vera maligne decumbentibus debilitate a longo jam tempore non ſum uſus. Stimulos habent brevi denuo evanidos, ſudorem ſæpe noxium cientes, quæve alvum atque urinam cohibent, necroſin interaneorum imminentem accerſunt, & majorem plerumque ruinam virium, & torporem relinquunt. Gaudeo me a miſerrimo hoc maligne febrientium auxilio, ex quo mihi melior medendi ratio innotuit, auſpicato plerumque abſtinuiſſe.

Per-

Perraro contigit, ut in vera debilitate ventriculus & inteſtina omnia cardiacum quodcunque nauſearent, nihilque medicamentoſi valerent ad vias ſecundas ablegare, atque a remediis quibuscunque potius opprimerentur.

Eodem quoque tempore, & eodem fere conſilio epipaſtica ſuris admovi.

Alteram exiliſſimorum pulſuum cauſam non raro in iis vidi, qui nullas adhucdum evacuationes paſſi ſunt, aut ſaltem parciores, quam ut inde tanta debilitas deduci quiverit. His vero materies circa præcordia ſummopere turgebat. Cardiacum fuerat emeto-catharticum, quod pulſibus vigorem illico reſtituit. Fictitiam hanc debilitatem ſtimulantia non emendarunt, ſed mirum quantum auxerunt.

Febres bilioſas in putridas, in malignas multiplici ratione converti, alibi aſſerui, neglectu potiſſimum, aut regimine calido, aut phlebotomiis præter rationem inſtitutis. Quamdiu febres ejusmodi bilioſæ ſolventibus, atque emeſi uni aut pluribus ceſſerunt, eæ necdum malignitatis accuſabantur. Ubi vero quacunque ratione aut putrida abdominis illuvies ſanguinem ita coinquinaret, ut ſolventibus & emeto-catharſi non potuerit

amplius ſubduci, atque intra breve tempus eliminari, malignitatem adeſſe arbitrabamur. Methodum medendi tunc *indirectam* adhibebamus, eamque in eo reponebamus, 1) ut vis vitæ non nimis torpeat, ſed ita intendatur, ut humoribus permixtam alienam materiem attenuet, ſubigat, aut aptam efficiat, quo per varia corporis cola, ad quæ adpulerit, trajiciatur, atque ita exterminetur. 2) Ut ne nimium vivida vis vitæ ſit, & contra inimicam materiem potentius inſurgat cum discrimine ægrotantis.

Tunc vires ægri adcurate, ac juſte oportuit æſtimare. Torpidam vitæ viam vinoſa, amara, & ſtomachica amica erexerunt, & fibras imbecilles decoctum corticis peruviani, infuſo-decoctum radicis arnicæ firmavit. Quibusdam, quibus neutram in partem vis vitalis peccavit, decoctum radicum graminis, & taraxaci cum oxyſacharo propinavimus, quantum absque incommodo haurire potuerunt, & quin ventriculus læderetur.

Spem omnem in juſto hoc virium moderamine conſervato, atque in eo reponebamus, ut omnia cola reddantur aperta, & adpellenti materiæ morboſæ excipiendæ excernendæque idonea. Alvum habere facilem, & urinas expeditas, magnopere profuit.

Hinc

Hinc in exacta virium vitæ penſitatione rei cardinem verti exiſtimavimus.

Nullam interim excretionem violenter urgebamus, nullamque ita profuſam eſſe ſinebamus, ut inde viribus metuendum fuerit, aut aliæ nimium langueſcerent, & ſupprimerentur.

Atque ita pugnatum in eo morbo fuit, ubi inimica materies jam eos fines tranſierat, intra quos conſtituta directam ſolventium, atque catharſeos poteſtatem fuiſſet experta.

Nunc, cum illa jam eo irruerat, ubi ſolventium, vacuantiumque viribus jam non amplius ſubjecta fuit, res ſoli ferme medicatrici naturæ committebatur. Languidos ejusdem conatus incitavimus, ferocientes moderabamur, aberrantes reduximus.

Hinc nullum habuimus remedium, quo in omni ac ſingula maligna febre, & ſemper uteremur.

Idcirco recens non raro aqua, eaque frigidiuſcula cum ſacharo, & pauco vitrioli ſpiritu, ut *limonadam* referret, aut graminis & taraxaci, cichoreique decoctum, vel etiam utrumque hoc genus remediorum, & lenta, minimeque tumultuoſa feſtinatio multis ſalutem attulit, quos tumultuoſa agendi

ratio,

ratio, & camphora, & ſerpentaria virginiana, aliaque ſtimulantia, & alexipharmaca peſſumdediſſent.

Sed & horum, & conſimilium uſus eſſe in magna virium jactura poteſt.

Quodſi tamen excitantibus, & cardiacis opus fuerat, illa mihi magis placuerunt, quæ ſtomachus plerumque libenter admittit, quæve & ſanum alias, & lanquidiorem valent recreare, amara, corticis peruviani decoctum, aut ejusdem extractum, vinum &c.

Aër frigidior, recens, hauſtus frigidæ, ſorbillationes vinoſæ ſæpiſſime pluris ſunt, quam immites & ventriculo inimici remediorum quorundam ſtimuli, qui, poſtquam remoti fuerint, vitæ viribus nullum augmentum permanens addiderunt.

Annus 1778.

Febres per hoc tempus (menſe Auguſto) plures, & inflammatorio-putridas curabamus. Pleræque longiores fuere, & ægros alvi fluxu vexabant. Continuitas earum major, minorque, & obſcura remiſſio. Vomuerunt, qui ea febre tenebantur, dato emetico mole pauciora, pituitoſiora, laborioſius, & cum minori emolumento. Stupidiores jacebant,

cebant, pulſu, & corporis calore non multum a ſanis recedente, & multo minus, quam in febribus menſium præteritorum, ſi utramque hanc qualitatem admota manu examinaveras; utut calere ſe valde, & uri ipſimet ægri teſtarentur.

Virium deperditio magna, & linguæ ardentes, contractæ, fuliginoſæ, ligneæ, tremulæ, & quas porrigere nequiverunt: dentes, gingivæ, labia fumoſo muco, atque in filo ductili oblinita; dolor, aut tenſio, aut pondus abdominis totius.

Urinæ aquoſæ, mucoſæ, & cum hypoſtaſi multa, atque mucoſa. Arida, atque imperſpirabilis cutis erat.

Mares multo plures hoc morbo detinebantur, & præ fœminis eluctabantur laborioſius.

Circa ultimos menſis dies quædam corporis partes peculiarius affligebantur, pulmo potiſſimum, ut pleuroperipneumonice cœperint ægrotare; deinde glandulæ ſubmaxillares, thyroidea, parotis, artus demum ſupremi, & eorum extrema. Vividiſſimus in hisce plagis non raro dolor fuit, & cum tumore, emolliente remedio primum delinitus, deinde vero discutiente profligatus.

Sub

Sub finem menſis etiam fœminæ pari cum viris numero & periculo non minori, & eadem prorſus ratione ægrotabant.

Circa medium menſem multæ intermittentes exortæ ſunt, tertianæ præprimis, ſimplices & duplicatæ; acceſſionibus omnes plurimum productis, encephalo inimicæ, epilepticæ, phreniticæ.

Solventium, antiphlogiſticorum, & ipſius phlebotomiæ in his intermittentibus neceſſitas erat, ſi quando, quod ſæpe evenerat, in remittentes, aut etiam in continuas inciperent converti, aut ægros tenerent robuſtiores. Sed tantum cortex peruvianus ſubjungi plerumque debuit, & multo frequentius hac tempeſtate, quam præcedentium quorundam annorum æſtatibus.

Mirum erat hoc anno ab emeſi, utut indicata, levamen non obſervatum.

Annus 1779.

Initio menſis Martii inter viros maxime, attamen numero non magno, febrium putridarum ſpecies obſervabatur, quæ more peripneumonico invaſit; ſanguis cruſtam gelatinoſam, diffuſam, ciſneream habuit. Sanguis parce, licet repetitum, at initio miſſus

ſus profuit, tollendo topicam pulmonum inflammationem; dein vero decocta graminis &c., cum oxymelle, vel oxyſacharo copioſe pota, mirum juvarunt. Rarius, & morbo tantummodo provectiore emeſis ſubinde utilis erat. Non erant autem febres ſaburrales primario-putridæ, ſed tantum ſecundario-putridæ, & ſubinde.

Aliena illa & incognita conditio, quæ vocabulo *putredinis* exprimitur, primitus in viis ſecundis, quacunque demum ratione nata eſſe videbatur, non autem ex viis primis in ſecundas primum traducta.

Febris uno tractu pergebat absque violentis ſymptomatibus, ſine exacerbatione, niſi paucula & nocturna. Somnolentia aſſidua, lingua mucoſa, os raro pravum. Cortex peruvianus, arnica, aromatica, & omnis generis ſtimulantia debebant exulare. Antiphlogiſtica profuere, incerta morbi duratio; nulla manifeſta criſis.

Cum die menſis quarta frigus boreale ſiccumque, & ventoſum ingrueret, multi pleuritici facti ſunt, dolore validiſſimo. Venæ ſectiones complures, cruſta ingens, craſſa, diffuſa, non contracta, & quemadmodum in rheumatismo inflammatorio ſolet obſervari. Tepidi potus, cataplasmata emollien-

lientia ad latus dolens. Erant veræ & graves inflammationes. Nihilominus quibusdam, ſero licet, & fracta phlogoſi, emeticum profuit. Morbo nempe inflammatorio tranſitum moliente in febrim ſaburralem.

Poſt medium menſem febris quædam putrida frequens fuit. Caput omnibus valde ægrotabat, confuſum, ſtupidum. Senſuum tarditas, ſomnolentia peculiaris, & taciturna tandem, noctu præſertim, deliria.

Saburralia ſigna multa adfuere; verum pharmaco propinato, ſive id vomitum, ſive alvum cieret, nullum, aut perexiguum levamen, idque ipſum non durabile. Poſt paucos dies lingua exaruit, intenſiore, aſſidua, & comatoſa in ſomnum proclivitate. Inter dormiendum oculis non raro, & præter conſuetudinem connivebant. Quodſi uterque oculus inæqualis conniveret, ægros magis periclitari judicabam. Et neque hoc, neque aliis ullum novi ſanatum, cui in acuta febre, licet quædam comparerent non mala, quia etiam ſalutaria, alter oculus altero major fieret.

Incertis morbi diebus nonnunquam exanthemata proruperunt non levantia, ſed neque lædentia, petechialia, morbillos exacte referentia magnitudine, formaque, læ-

te

te roſea, niſi quod ſubinde cinerei coloris, ſubinde modice ſubflaveſcentis eſſent. Petechiæ *morbilloſæ* apellantur. *Lenticulares* fuerunt rariores.

Pulſus pleni, fortes, duri, naturalibus modice tantum celeriores. Durities & vibratio pulſuum aliquoties poſt venæ ſectiones repetitas augeri viſa.

Nares ſubinde ſanguine manabant, ſine evidenti levamine.

Sanguis phlebotomia eductus roſeam plerumque cruſtam habuit absque ſero, & cum inſula tenaciſſima. Quibusdam tamen cruſta plumbea fuit, cinerea, obſcure & obſolete flava, diffuſa, tenax, non fimbriata.

Urinæ naturalibus magis flavæ, aureæ; nunquam autem flammeæ, aut exquiſite inflammatoriæ.

Febris hæc initio quotidie, & paululum remiſit, & modice exacerbata eſt præcedente levi horripilatione; tandem nulla aut remiſſio, aut exacerbatio notabatur. Continua tunc fuit.

Varia morbi duratio fuit ad duas, tresve ſeptimanas; criſes variæ, nullæ tamen evidentiores, aut magnæ, aut cum tumultu, pleræque fatiſcere ſenſim videbantur ακριςιμως.

Omnibus plus minusque thorax peripneumonice, aut etiam pleuritice laborabat.

Sanabantur plerique, & plurimi.

Profuerunt antiphlogiſtica ſola; venæ ſectiones nempe iteratæ, & decocta radicis graminis, taraxaci, cum nitro & oxymelle.

Menſe Octobris febrium putridarum quædam ſpecies adhuc frequenter fœminas prehendit, quæ initio inflammatorii quid habuit, deinde vero putrida fuit, ita tamen, ut ſtimulantia efficaciora non tulerit. Optime habuerunt protracto morbo a decocto florum arnicæ, radicis graminis, cichorei &c. Linguæ plerisque arebant, pulſus non erat analogus reliquis ſymptomatibus, præcipue laſſitudini, ſenſuum ſtupori.

Sitis non erat magna, aut etiam nulla; indifferentia animorum mira, de nulla re ſollicitorum, ac ſi ſomnum inter & vigilias, & iis analogi, qui ab aſſumpto opio jamjam ſunt dormituri.

Quædam ægræ corporis calorem habebant naturalem; pulſum quoque naturalem, & celeritate, & robore. Pectus quibusdam vel initio, vel ſaltem provecto morbo tentari cœpit tuſſi, oppreſſione. Solvebantur hæ febres poſt 14 fere dies, ſerius etiam.

Jace-

Jacebant immoti & incondite. Deliria non erant furioſa, ſed placida, & vel in ſomno, vel inter vigilandum inconcinne muſſitarunt. Urinæ ſanorum, ſubinde croceæ, ictericæ quibusdam.

Petechias vidi ſæpius & hoc, & aliis menſibus effloruiſſe, quin æger inde commodius haberet. At vero miliares puſtulæ inter largos ſudores propullulantes ægrum a febre liberarunt penitus, ut hæc criſis, licet nullo definito tempore in ægris appareret, fuerit abſoluta & plena.

Annus 1780.

Putridæ plures ſub finem menſis Auguſti; harum indoles hæc fuit:

Primum ſtadium, ſcilicet inflammatorium; item topica ſimul vel hepatis, vel pulmonum inflammatio fuit, declinante menſe hepar ſæpius laborabat, at ſub menſis initium ſæpius pulmo ægrotabat. Tandem ſaburrale ſtadium, ita tamen, ut omnis humorum maſſa *ſimul* fuerit eo vitio contaminata, quod febrim putridam originariam conſtituit.

Hepar ſubinde ita affectum non fuit, ut hepatitis vera, & icterus oriretur. Bis hic

ſtatus lethalis fuit. Extrahebantur hi morbi putridi in aliquot triginta dies, poſt quos aut mors, aut tarda convaleſcentia. Hoc topicum diu afflixit, etiam convaleſcentes.

In fabro lignario, tardo homine & taciturno, poſt 32 dies mors eſt ſecuta. Circa 20mum morbi diem icterus ortus eſt, & dolor ad regionem veſiculæ felleæ, quem utut delirans, oſtendit, abdomine contracto. Cubabat ore ſemper hiante, anxius, jactabundus, & per noctem muſſitans, gruniens etiam; pulſu ſemper vibrato; alvo facili, fluente inſcio. Difficilis deglutitio facta eſt; os fuliginoſum, artus projecti; emaciatio. Poſt mortem valde magnum & durum, & flavum hepar fuit; veſica bile plurima, æruginoſa tenuique diſtenta; ductus cyſticus piſiformi maſſa fellea, indurata, ita tamen, ut digitis poſſit comprimi, eodem modo obſtructus, ut nulla ratione bilis potuerit ad ductum communem & duodenum exprimi. Icterus ergo fuit ex bile cyſtica reſorpta.

Potentia ſtimulantia, corticem &c. hæ putridæ non tulerunt; ſed oxyſacharum; acida vitriolica moderata; aliquoties etiam florum arnicæ decoctum, ſed raro.

Oculi ferme plerisque putrida ſynocho affectis ſubflaveſcebant.

Læ-

Lævum ominabar, ſi putrida hæc aut fabrum lignarium, æſtivo ſole peruſtum, aut piſtorem corripuerat; item ſi hepar affectum fuerat; metueram enim affectum pulmonem. Item lævum, ſi in homine antea morbis ventriculi, aut ſyſtematis hepatici laborante hæc febris fuerat. Lævum quoque, ſi os ſemper hiaret, ſi difficulter deglutiret absque viſibili vitio faucium. Erant enim tunc paralyſes maſſeteris, & ſemiparalyſes œſophagi; plerumque paralyſis veſicæ præceſſit, & inde lotium ſuppreſſum, lotii tamen ſuppreſſionem minus timui.

Annus 1781.

Ægrorum numerus major multo erat initio hujus menſis (Auguſti), poſtquam nempe poſt nuperum illud frigus aër denuo valde incaluit.

Maxime autem fœminas morbus arripuit, famulas pauperiorum ſervitiis addictas, iisque durioribus, lotrices, cachecticas, cacochymicas, chloroticas.

Morbi longiores fuere, linguæ mucoſæ, glabræ, aridæ. Stupor & anæſtheſia, deliria taciturna, mitia. Pulſus & calor gravitati morbi non reſpondens, miliaria ſincer-

to die, levantia fuerint, nec ne, mul um ambigas. Stimulos non tulere. Convaluerunt melius ſolo potuum graminis, & aliorum antiphlogiſticorum uſu, item & taraxaci. Dolores veluti rheumatici artuum, abdominis, in hac febre miliari initiante obſervabantur, qui phlogoſin levem mentiebantur. Omnibus aliquid fuit catarrhoſi, ſubperipneumonici ante miliarium conſpectum, iis vero obortis id vitium thoracis emendabatur. Nobis nec camphora, nec veſicantia, nec arnicæ flores profuerunt, ſed ſola diluens, & antiphlogiſtica methodus moderata.

Multi quoque iterum icterici, quædam etiam hepatitides.

Dyſenteria non rara, non boni moris, niſi in febrem abiret tertianam.

Poſt menſis initium continuæ remittentes meſentericæ, ſeu lymphaticæ, pituitoſæ, bilioſo-pituitoſæ frequentiores. Quibusdam hæc febris ſenſim ſine ſenſu, & tarde ſolvebatur, potiſſimum ſub uſu eccoproticorum, tandem & ſubamarorum. At vero multis viris æque ac fœminis, maxime viris, morbus ex remittente factus eſt intermittens, cortice ſalibus juncto, non copioſo, ſanandus facile. Fœminis autem compluribus, & paucis viris *dehiſcere ſolido-*

rum

rum compages cœpit, & fieri vere continua, & genuina putrida; tunc autem decoctum corticis profuit, aperta alvo.

Hæc febris fere ſemper tumores crurum & femorum reliquit magnos. Horum uni alterive tumor diſparuit, receptis, ut puto, aquis in maſſam circulantium humorum; at repentina ad thoracem depoſitio facta eſt, & æger repente, convaleſcere viſus, periit.

Inſolationes multæ meſſorum, itineratorum. In calvariis ſectorum aqua cruenta fuit, maxime in ventriculis; & per ſpecum vertebrarum.

Circa medium menſis larvatæ febres hinc inde comparebant: e. g. tertiana ſub lumbaginis forma; cephalalgia occipitalis, quotidiana, periodica.

Quibusdam mox in principio acutæ febris peculiaris puſillanimitas, moroſitas, ſtuporque fuit, pulſibus non, aut parum alteratis. Hinc convulſio repente facta. Arbitror ſeroſas metaſtaſes eſſe factas ad encephalon; hinc convulſiones. Plerique autem in convulſione perierunt.

Ingens ægrorum numerus ubique.

Fors facilior metaſtaſis ad caput ob *inſolationem* in fabris murariis, meſſoribus &c.

 Vide-

Videbatur ſerum a ſanguine ſubinde celerrime ſeceſiſſe, & feciſſe decubitum varium.

Medio menſe, & toto reliqui menſis decurſu febris *vere putrida* etiam inter viros frequentiſſima fuit, quam putridam *κατ' ἐξοχὴν* dicebam; caput ſtupidum, temulentum; dedolatio ingens, pulſus & urina naturalis; etſi æger de ingenti calore querebatur, tamen ad attactum non caluit præternaturaliter. Mox cortex in decocto dabatur.

Exeunte menſe febres hæ putridæ videbantur primo eſſe tertianæ, aut quotidianæ; mox autem erant *putridæ* continuæ.

Eodem tempore ipſæ intermittentes corticem fere ſemper exigebant, ſecus ac initio menſis. Hinc fere eadem & putridarum, & intermittentis regnantis natura fuit.

FEBRES INTERCURRENTES.

VARIOLÆ.

Primo loco febrim varioloſam deſcribam, omniaque quocunque modo ad variolas pertinentia, ſive naturales, quas apellant, ſive inſitivas. Difficillimum eſt, morbi

bi varioloſi decurſum deſcribere, cum is diverſis temporibus, diverſiſſimus eſſe ſolet, ſeu numerum dierum, intra quos morbus finitur, ſeu puſtularum figuram, ſeu periculum, ſeu ſymptomata, ſive morbos ſpectes a variolis productos.

Nonnunquam mitiſſima variolarum indoles eſt, ita, ut nemo periclitetur, nemo gravius afficiatur, quive inde ægrotant, lecto fere ſemper abſtineant, & obambulent. Alio vero tempore peſtis adinſtar ſtrages edunt deplorandas. Calculis ſubductis evictum; comparatis variolis benignis & malignis, funeribusque omnibus in unam ſummam collectis, comparatisque cum ſumma reconvaleſcentium, quemvis ſeptimum variolantium mori. Nonnunquam tam irregulari tramite incedunt; ut de die in diem ſingulas mutationes prævidere & prædicere poſſis; ſubinde vero ita exleges feruntur, ut non idem morbus eſſe videatur. Protheiforme ſane illorum ingenium eſt, quod medicos a multis jam ſæculis plurimum exercuit.

De variolarum ætate in diverſas opiniones auctores abeunt. Quidam, utut perpauci, eas jam antiquitus, jam ipſi *Hippocrati* cognitas fuiſſe contendunt, quemadmodum etiam de antiquitate luis venereæ au-

tumant. Morbos complures veteribus cognitos fuiſſe, quos nos novos dicimus, ſcorbutum e. g. *Hippocrati* deſcriptum fuiſſe ſub nomine *lienis magni*, variolas vero ſub nomine anthracum & phlyctenarum, ut *Hahnius* quidem, attamen falſo aſſerebat, quem *Werlhofius* ſolide refutavit. *Freindius*, *Werlhof*, *Schulze*, antiquitatum optimi inveſtigatores, græcis & latinis variolarum notitiam denegant.

Morbus hic ſuos natales in Æthiopia habere dicitur, ſed inde ante ſæculum quintum æræ chriſtianæ non eſſe ad alias regiones egreſſum; deinde in Ægyptum delatum eſſe, inde in Arabiam Græciamque. Scriptores arabici primi variolæ mentionem faciunt, hosque inter præcipuus eorundem *Rhazes*.

Inter poſteriorum ſæculorum ſcriptores, qui aliquid boni de variolis dedere, ſunt *Sydenhamus*, *Mortonus*, *Freindius*, *Huxhamus*, *Meadius*, *Werlhofius*, *Tiſſotus*, *Roſenſteinius*, *Tralleſius*, *de Haen*, *Gatti*, *Wagler*, *Hensler*, *Cotunnius*, Archiater Moguntinus *Hoffmannus* &c. &c.

Pro-

Proprietates generales morbi varioloſi.

Prima proprietas varioloſi morbi eſt epidemicum variolarum dominium.

Inter epidemicos morbos recenſendas eſſe variolas & *Sydenhami* obſervata docent, & omnes practici teſtantur. Quandoque enim per aliquot annos ſucceſſivos dominantur; & poſtea denuo diſparent. Hoc in pagis & minoribus urbibus manifeſte conſtat, ubi quandoque per plures annos nullæ omnino cernuntur variolæ. In majoribus urbibus obſervarunt celeberrimi practici, quod quidem ſubinde per aliquot annos non graſſentur variolæ, epidemicorum more, ſed tamen hinc inde unus plerumque vel alter hoc morbo laboret, vix propagato ad alios homines contagio, tunc autem morbus ſporadicus ſolet vocari. Verum cum ad majores urbes, & imprimis ad celebria emporia ingens advenarum numerus confluat, poteſt advectum ex aliis locis contagium in paucis hunc morbum excitare, licet non ſemper propagetur ita, ut epidemici nomen mereatur. Etenim præter contagium morboſum requiri cauſas prædiſponentes, ut morbus ille naſcatur, certum eſt. Obſervavi aliquoties, ait *Swietenius* a), urbem immunem eſſe,

dum

dum in vicinis pagis epidemicæ regnabant variolæ; contra vicinos pagos immunes manere a morbo, licet in urbe frequentiſſimus obſervaretur, & quotidiano commercio incolæ horum locorum uterentur. Quin imo probe memini, ſe binos ægros ex loco, ubi variolæ immaniter graſſabantur, delatos in urbem curaviſſe ab hoc morbo, & tamen non fuiſſe propagatum malum. Egregii plures medici, quibuscum amica circa praxin medicam commercia colui, teſtati ſunt, ſe ſimilia obſervaſſe. Imo in quibusdam locis determinato intervallo redierunt variolæ, uti *Bartholinus* b) monet, ſe a ſtudioſis Islandicis Hafniæ commorantibus audiviſſe, in Islandia quovis anno vigeſimo recurrentes tantum eas graſſari, & tantam eſſe ejus periodi vim, ut qui liber a variolis fuit eo anno, quo epidemicæ ſunt, ſuperſtes eſſe non poſſit ad recurrentem terminum. Præterea obſervatum fuit, variolas a recens conſcriptis militibus in caſtra delatas, brevi ceſſaſſe, nec multum diſperſas fuiſſe, licet alii morbi epidemici caſtrenſes tam cito diſſeminentur, ut notum eſt c). Hinc merito dicitur, hunc morbum plerumque epidemicum eſſe, ſed non ſemper, cum & quandoque occurrat ſporadicus.

a) Van

a) Van Swieten Comment. ad §. 1380.
b) Bartholin epiſtol. med. lent. 3. epiſt. 50.
c) Pringle von den Krankheiten der Armee.

In morbis epidemicis cognoſcendis adeo verſatus *Sydenhamus* obſervavit, variolas frequenter circa æquinoctium vernum apparere a), in dies dein latius graſſari, & ſub autumnum numeroſiſſimos hoc morbo ægros decubuiſſe, ſuperveniente dein hyemali frigore imminutum fuiſſe ægrorum numerum, verno tempore ſequenti denuo invaluiſſe morbum, donec ſequenti hyeme morbi impetus coerceretur. Tertio autem vere inſequente denuo increbuit malum, ſed languidius, & minus late dominabatur per æſtatem, tandemque Auguſto menſe penitus disparuit, alteri Epidemico, dyſenteriæ nempe locum cedens. Simul obſervavit mitiores, & regulares variolas circa æquinoctium vernum incipere, irregulares & periculoſas citius prodire, Januario nempe menſe b). Aliquoties & variolas ſimili modo ortas vidit *Swietenius*, uti deſcribit *Sydenhamus*: verum anno 1733 menſe Novembri vidit variolas diſcretas regulares. Sequenti menſe Decembri augebatur parum numerus ægrorum, pergebant toto menſe Januario 1734, augebantur numero menſe Februario, ita &

Mar-

Martio, Aprili menſe longe plures occurrebant, & ex magno ſatis numero ægrorum, quos tractavit, ne quidem unicum perdidit. Majo menſe adhuc plures, ſed benignæ tamen; Junio menſe incipiebant confluentes reddi, longe putridioris indolis occurrebant menſe Julio, & adultos aggrediebantur longe frequentius, quam ante. Menſe Septembris pejus confluebant, & longe erant periculoſiores. Octobri minuebatur numerus ad medietatem, & diſtinctæ denuo reddebantur: pergebant minui menſe Novembri, & difficilius ſuppurabantur, morbusque diutius protrahebatur. Decembri ſilebat fere morbus. Januario 1735 parum increſcebat denuo, menſe autem Februario ceſſabat omnino, uti & Martio. Menſe Aprili iterum adparuerunt, ſed tantum in uno urbis loco, & ex ſeptem ægris tres laborabant variolis confluentibus. Menſe Majo & Junio pauci occurrebant adhuc, ſed in eodem tantum urbis loco, nec latius ſpargebatur morbus: deinde ceſſarunt omnino variolæ, & ſucceſſit ſpurium quoddam genus, quæ puſtulæ nunquam ſuppurantur, ſed indureſcunt, & decidunt. Plurimi infantes ac pueri corripiebantur hoc morbo, qui adeo levis fuit, ut ne decumberent quidem, & vel omnino

non,

non, vel leviſſime febricitarent. Poſtea variolæ denuo apparuerunt. Menſe Februario 1739, quæ epidemice graſſatæ fuerunt, nunc magis, nunc minus, per integrum biennium, & ultra.

Plurimas conſtitutiones epidemicas varioloſas vidit *Swietenius*, & plurima in his conveniebant illis, quæ *Sydenhamus* obſervaverat; quædam tamen occurrebat diverſitas: nam menſe Novembri & Decembri incipientes variolæ erant admodum regulares, ac benignæ, & pauciſſimi inde moriebantur, licet non circa æquinoctium vernum, ſed citius longe, ipſa nempe hyeme inceperit hæc epidemica conſtitutio.

a) *Sydenham* op. Sect. III. c. 1.
b) ——— ibid. c. 2.

Omnes autem in praxi medica verſati norunt, eundem morbum in diverſis conſtitutionibus epidemicis varium ſemper inveniri, & probe hoc notavit *Sydenhamus*, dum monet, anno 1667, 1668, & parte anni 1669, regulares variolas epidemice graſſatas fuiſſe, verum annis 1674 & 1675 variolæ epidemice regnabant, anomalæ omnino, & a prioribus diverſæ. Magnæ certe utilitatis eſt, ſedulo notare omnia, quæ in morbis epide-

micis

micis occurrunt, quoad tempus, durationem, ſymptomata, exitum funeſtum vel ſalutarem &c.; & deinde hæc notata conferre cum eodem morbo, dum poſt aliquos annos recurrit; ſic ſtatim apparebit, qualis ſit differentia, & plurima detegentur quoad methodum medendi ab attento ad hæc medico, quæ alios latent, qui tota die curſitando plurimos vident ægros, morbos vero paucos intelligunt, ſicque annoſa etiam praxi fiunt magis magisque ſtupidi & hebetes, quos tamen quandoque

— — — — *ſumma ad faſtigia rerum*
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

In illis conſtitutionibus epidemicis, quas videre contigit *Swietenio*, obſervavit ſatis conſtanter, vere jam adulto augeri ægrorum numerum, æſtivis menſibus adhuc magis increſcere, ſed & ſimul periculoſius decumbere ægros, præcipue menſe Septembri, & imprimis, ſi fervida æſtas fuerit. Octobri jamjam minuebatur ægrorum numerus, morbique ferocia, & adhuc magis ſequentibus menſibus. Præterea primo anno, ſi reliqua omnia ſint paria, major morbi vis, ſequentibus annis minor: in initio autem conſtitutionis epidemicæ varioloſæ fere infantes, & juniores tantum afficiebant, circa finem

æſta-

æſtatis etiam adultos, imo & ſenes, tuncque ſimul majoris putredinis initia in hoc morbo apparebant. Simul etiam vidit, quod veriſſima monuerit *Sydenhamus*, dum aſſerit, poſt ſummam ſiccitatem aëris & æſtatis, ita ut ubique locorum omnis herba exaruiſſet, omnium peſſimas ortas fuiſſe variolas, & ſæviſſimis ſtipatas ſymptomatibus.

Nullum tamen dubium eſt, quin & in aliis locis, & diverſis conſtitutionibus epidemicis, quandoque & aliud quid obſervatum fuerit, quod præcedentibus minus quadrat. *Sydenhamus*, uti dictum fuit, anno 1667 & ſequentibus notavit, brumali ſub frigore miteſcere variolas. In Gallia autem anno 1666 obſervatum fuit peſſimum variolarum genus longe majus ſæviiſſe, & longe plures abſtuliſſe homines acerrima hyeme, quam fervidiſſima æſtate a).

In eo tamen ſatis conveniunt practicorum teſtimonia, quod nempe vernum & autumnale tempus magis faveat hoc morbo decumbentibus, tam ob majorem aëris temperiem, quam etiam, quia ſolet mitior eſſe morbus tempore verno, & autumnali plerumque incipit remittere ab illa ferocia, qua æſtivis menſibus ſævire ſolet. Videtur etiam utplurimum hyems præferenda eſſe æſtati,

quia foco inſtructi ſatis commode lenire poſſumus acre etiam frigus: æſtivos autem calores difficilius moderari licet, ſaltem apud vilioris ſortis homines, qui ſæpe cum numeroſa prole anguſtas ædes incolunt, & fervidis æſtatis caloribus vix non ſuffocantur, etiam ſani.

a) La Motte traité complet de chirurgie. Tom III. p. 383.

Nemo certe, hunc morbum non expertus, blandiri ſibi poterit, quod ad ultimum vitæ terminum a variolis immunis manſurus ſit, ne quidem illi, qui ſæpius contagio varioloſo expoſiti fuerunt absque ulla noxa. Memini, ait *Swietenius*, me curaviſſe hoc morbo decumbentem vetulam jam plus quam ſexagenariam, quæ ridebat me, dum variolas erupturas brevi præſagiebam. Probe enim conſcia erat, ſe cum fratribus & ſororibus hoc morbo laborantibus comediſſe, bibiſſe, imo in eodem conclavi dormiviſſe per plures ſeptimanas, & quidem hac ſpe, ut una cum reliquis morbo defungeretur, cum mites admodum & benignæ variolæ epidemico modo tunc graſſarentur. Sana tamen perſtiterat, & poſtea frequenter variolis laborantibus præſtiterat opem, firmiter

ſibi

ſibi perſuaſum habens, quod ab hoc morbo nil metuendum foret. Novi ſatis, quosdam inveniri, licet raro, qui tali idioſyncraſia præditi ſunt, ut millies contagio varioloſo expoſiti nunquam inficiantur. Celeberrimum medicum novi, qui ſeptuageſinario major mortuus eſt, & numeroſiſſimam praxin exercens millenos ægros hoc morbo decumbentes tractaverat, nunquam infectus ipſe. Notum eſt, inter illos, quibus per inoculationem morbum hunc excitare conantur medici, paucos quosdam non affici ab hoc contagio. Hoc tamen credo, nemini poſſe plenam ab hoc morbo immunitatem promitti, licet ſæpius contagio expoſitus nullam omnino inde noxam ſenſerit, cum in decrepitæ etiam ſenectutis ſtadio quidam hoc morbo correpti fuerint, qui non ſine probabili ratione credebant, ſe hujus morbi periculo jam dudum defunctos eſſe. Octogenaria majorem hoc morbo correptam eſſe novi, & avidos nepotes, qui certa opimæ hæreditatis ſpe freti advolaverant ex diſſitis etiam locis, falſe riſiſſe, dum ex tanto diſcrimine emergebat, per integrum adhuc ſexennium ſuperſtes, & quantum in ultimo ſenio ſperare licet, ſana ſatis. An, uti morbi hæreditarii inveniuntur, ita etiam rara hæc a va-

riolis immunitas quibusdam familiis propria eſt? Certe *Dimerbrœckius* a) de ſe ipſo teſtatur, quod jam fere ſeptegenarius millenos viderit, & curaverit hoc morbo decumbentes, tetrum hujus morbi fœtorem ſatis diu perpeſſus fuerit, ægrorumque ulcera tractaverit, ſemper immunis; ſed & patrem & patruum fere nonagenarios, aviam octogenariam, cognatos duos octogenarios, & nonnullos alios ex ſua familia recenſet, qui nunquam variolis tentati fuerunt.

a) Dimerbrœck de variolis & morbillis. C. 3. p. 274.

An autem ſemel hunc morbum paſſus nil amplius metuendum habeat, nondum penitus convenit inter medicos; quidam affirmant, alii negant, & ab utraque parte inveniuntur magna certe in arte medica nomina. Millies audivi homines narrantes, quod bis, ter, imo quater variolas paſſi fuiſſent: imo & quidam ægre ferebant, dum videbant, me non adeo plenam fidem adhibere his narratiunculis, & omnem cautelam arripere, ſi decumberet febre continua tali tempore, quo epidemice graſſabantur variolæ, ac ſi tunc morbum exſpectarem; qui & ſæpius ſucceſſit in hominibus, qui certo certius adfirmabant, ſe jam dudum hoc morbo de-

defunctos fuiſſe. Semper enim tunc ſuſpicabar variolas, niſi certus eſſem, me hunc ægrum in hoc morbo tractaſſe, vel manifeſta morbi antea tolerati veſtigia in cute perciperem. Tuto autem hæc omnia fieri poterant, cum illa, quæ tentari ſolent in prima variolarum febre, etiam in aliis morbis acutis absque noxa fieri poſſint.

Notum eſt omnibus medicis practicis, occurrere aliquoties tales morbos, qui prima fronte genuinis variolis non diſſimiles, a minus peritis hoc nomine vocantur, a medicis autem variolæ ſpuriæ ſolent vocari. Triplicem talium puſtularum ſpeciem obſervavi. Præcedit plerumque levis febricula, aliquando tamen languor aliquis, & laſſitudo ſpontanea. Primo quandoque die, aliquando ſecundo, vel tertio prorumpunt hinc inde puſtulæ rubræ, elevatæ in cute, quæ quandoque ſtatim indureſcunt, ſiccantur, cadunt; has vulgo ſolet vocare *Steinpocken.* Quandoque lympha tenui videntur diſtendi, imprimis in apice, hæ brevi pariter exſiccantur, & decidunt; vocantur *Waſſerpocken.* Aliquando deeſt illa lympha, & vacua, diſtenta tamen veſicula apparet, pariter cito decidua; tunc ſolent dici *Windpocken,* Imo & pluribus aliis nominibus in

diverſis locis donantur, quæ hic recenſere opus non eſt. Verum hoc habent omnes ſic dictæ variolæ ſpuriæ, quod non adſint illa ſymptomata, quæ primum variolarum verarum ſtadium comitantur; quod incerto tempore erumpant, quod nunquam vero pure impleantur, nec ulla relinquant in cute veſtigia. Vidi has variolas ſpurias epidemico modo regnaſſe, & quidem eo tempore, quo veræ variolæ graſſabantur; ſed hoc rarius contingit. Vidi ſpurias variolas ſucceſſiſſe veris variolis jam ceſſantibus, quæ epidemico modo regnaverant diu, & juniores adultosque occupaſſe, & quidem magno numero; imo videbantur eſſe contagioſæ, dum omnes fere eandem ſcholam frequentantes adficiebantur. Verum nunquam graviter ægrotantem ab hoc morbo obſervavi, nullum unquam inde mortuum memini, imo tam levis morbus eſt, ut rarius vocentur medici, qui ejus curam habeant, & nullis etiam remediis adhibitis ſanentur omnes. Apparet ergo, minime mirum eſſe, ſi ab ignaris variolæ ſpuriæ pro veris & genuinis habeantur. An ſimile contagium eſt in his, ac in genuinis variolis, ſed quod aſſuetum jam, vel magis iners, ex ſua natura turbat corpus minus valide, vel facilius difflatur abs-

que

que ſuppuratione ſequente? Sic quidam crediderunt, dum videbant ſpurias variolas regnare, poſtquam veræ graſſari deſinebant. Interim videtur obſtare, quod variolæ illæ ſpuriæ etiam illos infeſtaverint, qui ante paucos menſes a veris variolis ſanati erant, qui tamen ſolent a contagio varioloſo poſtea immunes eſſe; præterea ſpurias variolas paſſi, ſæpe paulo poſt laborabant veris variolis, ſi tunc temporis graſſarentur. Quidquid ſit de hac opinione, obſervata practica confirmarunt, veriſſime dixiſſe *Sydenhamum*, dum monet, quod a genuinarum variolarum contagio non eximantur illi, quos adulterinum variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, prius obſederit.

Si jam conſideretur ſimul, quod quandoque veræ variolæ occurrant admodum mites, vix multum turbantes corpus, paucis ſtipatæ ſymptomatibus, & levibus admodum, cito ſuppurentur, & cito areſcant, nemini mirum videbitur, quod imperiti hos morbos inter ſe confuderint. Cum autem & ſpuriæ variolæ quandoque bis vel ter eundem hominem invadant, ſatis patet, plurimas hiſtorias, quæ affirmant, eundem hominem ſæpius genuinis variolis laboraſſe,

non adeo firmo niti fundamento, ut pro certis haberi poſſint; accedit, quod plures hæc tantum a parentibus narrata, immemores illorum, quæ in prima ætate contigerunt.

Plures caſus in hiſtoria medica a celeberrimis medicis conſcripti habentur, quibus adſtruitur, variolarum morbum bis, imo & ſæpius ab eodem homine toleratum fuiſſe, quorum aliquos, & ſatis quidem urgentes *Swietenius* a) adduxit. Sed ſi conſideretur, directa experimenta probare; non affici a contagio illos, qui ſemel hunc morbum paſſi ſunt, videntur levari poſſe ſemel hoc morbo a recidivæ metu. Unde concluſit felici annoſæ artis uſu adeo celebris in Anglia *Meadius* b): Nemo ideo, mortalium queiquam, hoc periculum bis unquam ſubire poſſe, vel minimam ſuſpicionem ſovere debet.

a) Van. Swieten comment. ad §. 1381.
b) Mead. de variolis & morbillis.

Pueris ob laxam ſolidorum compagem, & minorem in morbos inflammatorios proclivitatem minus infeſtus eſſe ſolet hic morbus. Præterea in prima ætate nullum habent morbi metum ægri, quod magni momenti eſt in hoc caſu. Vidit ſæpius *Swietenius*,

nius, adultiores fere exanimatos fuiſſe terrore, ſimul ac noverant, variolas erupiſſe; quin imo licita fraude aliquibus celavit morbum, donec in vado eſſent, cum ſciret, pluribus in eadem familia funeſtum fuiſſe, & ſummam animi perturbationem metueret in talibus, ſi noviſſent, ſe eodem morbo decumbere. Probe norunt omnes practici, quantum proſit in morbis curandis, ſi ægri ſerena pacatæ mentis tranquillitate fruantur, & recuperandæ ſanitatis magnam fiduciam habeant.

Verum in infantibus convulſiones a levi etiam cauſa metuendæ ſemper ſunt, & ſæpe moroſi reſpuunt remedia in curatione hujus morbi requiſita; unde multi in prima infantia pereunt variolis, qui forte ſervari potuiſſent, ſi adultiori ætate idem morbus illos invaſiſſet. Optimum pro hoc morbo tolerando vitæ ſtadium videtur eſſe, quod inter quartum annum abſolutum ad pubertatem fere intercedit: hoc enim vitæ tempore nondum adeſt magna ſollicitudo rerum futurarum, ſimulque ſolent ſatis morigeri eſſe medicorum juſſis, tam ratione diætæ, quam remediorum. Præterea tunc nullum adeſt periculum, ne dentitio una cum variolis contingens, mala augeat. Accedit, quod ex

catalogis mortuorum in variis Europæ locis appareat, longe plures perire a nativitate ad quintum usque annum, quam a quinto anno ad pubertatem. Ob has rationes & inſertio variolarum hoc vitæ tempore imprimis ſolet inſtitui.

Mollis autem & laxæ temperiei hominibus hunc morbum, cæteris paribus, mitiorem contingere, omnes medici fatentur, & *Sydenhamus* jam monuerat, in ſanguine laxiori atque ευμεταβλήτω, nonnunquam accidere, ut ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigatur, priusquam expulſio materiæ puſtularum eruptione ſe prodat. Plures tales caſus me vidiſſe memini, ait *Swietenius*, inter quos tamen ſequentem maxime miratus ſum. Nobilis juvenis, hyemali tempore, usque ad undecimam nocturnam rhedæ ſuper nives denſas vectione ſe oblectaverat, domum redux cœnaverat, tota nocte placidiſſime dormiverat; ſequenti mane evigilat, nullius mali conſcius, ſed miratur, in facie, collo & manibus puſtulas apparere rubras. Vocatus, invenio veras eſſe variolas, ſed benignas, a quibus facile & feliciter emerſit: toto morbi decurſu nequidem decumbere

coac-

coactus, muſica & amicorum conſortiis tempus fallebat.

Cum autem muliebre corpus mollius & laxius ſit corpore virili, hinc cæteris paribus, & in his mitior ſolet eſſe hic morbus.

Dura vero & exercitata corpora, uti & obeſuli, qui in flore ætatis conſtituti, lauta diæta utuntur, imprimis, ſi Bacho indulſerint nimis, periculoſiſſime ſolent ex hoc morbo decumbere.

Senes tamen ex hoc morbo adhuc ſatis frequenter emergunt. In illis quidem eſt exſucca iſta ſenii rigiditas in partibus firmis corporis; verum vaſa majora non patiuntur ſe multum diſtendi, cum dura ſint, imo quandoque oſſea; hinc & minor reactio vaſorum in fluida, minor ergo illorum condenſatio. Lentor quidem adeſt in ſanguine ſenili, ſed mucoſus, iners, frigidus, omnino oppoſitus denſitati inflammatoriæ, quæ metuenda eſt imprimis in hoc morbo. Hinc, ſi vires ſufficiant tolerandis morbi moleſtiis, ſæpe adhuc evadunt.

Id tamen adhuc de epidemicis variolarum conſtitutionibus monendum ſupereſt, circa eadem tempora non morbillos tandem, ſcarlatinam, aut ſpurias variolas obſervari, ſed univerſim, cutis morbos varios frequentiſſime

tiſſime apparere, cujus rei luculentum exemplum *Hænius* a) retulit.

„Annno 1744 Hagæ Batavorum peculiares epidemici morbi non ſunt graſſati, præter eos, quos plerumque ſingulæ anni tempeſtates adferunt: exceperis modo efflore-ſcentias longe lateque divagantes, contagio communicatas; ita ut uno laborante brevi multi iisdem in ædibus commorantes affligerentur. Verno potiſſimum tempore hæc graſſari cœptæ, tota quanta æſtate quam plurimos adortæ ſunt. Quadruplicis generis eæ fuere.

Primo. Rubedo univerſalis brachia ad usque humeros, collum, faciem, ventrem, ac lumbos, rarius pedes occupabat, cum trium, quatuorve dierum febricula; ſponteque ſua ſæpe fatiſcebat ita, ut medico vix opus habuerit. Pruritus ingens ipſum exortum præcedebat, ac fere ad finem usque proſequebatur. Nulla epidermidis deſquammatio notabilis hinc ſecuta eſt. Sicca, ut farinam ſecalis, amyli, ceruleum illud ſmalti genus, flores ſambuci ſiccatos plebeji ſibi paſſim adplicabant cum ſucceſſu. Quos vero febris, & dolorificus pruritus moleſtius vexabat, hi leniſſimis diaphoreticis, ſubacidis, quin-

quintò plerumque die ſaneſcebant, cum deſquammatione epidermidis ſatis notabili.

Secundo. Aliud genus erat, quod ſubito in diverſis locis, at præſertim in collo, & facie, rubro circulo, ſenſim latiore, brevi diſparente, illico iterum conſpicuo, ſeſe manifeſtabat. His affecti vix febriculam notabilem habuerunt, ſed diutius, quam in priore genere, laborarunt. Hinc inde leves ſquammulas epidermis deponebat. His diaphoretica, diluentia, ſubacida profuere.

Tertio. Genus tertium per minima punctula ruberrima, iisdem locis ſenſim in milii grani molem aucta, comparuit. His febricula quam minima, ut vix poſſent ægroti dici, adfuit, ſed intolerabilis pruritus, in trunco potiſſimum, ne moderatiſſimos quidem vix a continuo ſcalptu temperare ſinebat, ita quidem, ut ſanguis undique ex punctulis ſtillaret. His profuit venæ ſectio, diluentia, diaphoretica, ac maxime flores ſulphuris magna quantitate cum rheo, ſtibio diaphoretico non abluto aſſumti. Menſis ſpatio quandoque morbus excurrerat. Remedia externa ſæpe nil juvarunt. Erant hæc unguentum pomatum cum multo ſulphure, unguentum album camphoratum, unguentum nutritum, balſamus arcæi, &c.

Ali-

Aliquando tamen videbantur juvare, ſed hoc forſan debebatur remediis internis.

Quarto. Genus quartum, ad ſcabiem referendum, per tres, quatuor, quinque, immo plures menſes homines dire excruciavit. His mercurius, intus datus, extrinſecus adplicatus diu multumque, nunc cum effectu, nunc absque fructu uſurpabatur. Puſtulæ erant lympha plenæ, quas multi acu perforantes, ut citius ſaneſcerent, brevi renatas cernebant. Hæ puſtulæ vix faciem, at artus, quatuor potiſſimum ad ultimos usque digitos, nates, ventrem, ac lumbos obſederunt. Præ intolerabili pruritu impenſe ſcalpentes laborarunt eo acrius. Decocta antiſcorbuticorum leniorum, acriorumque; iterata purgantia; mercurialia diu multumque extus intusque data; nec non plura ſupra recitata unguenta ſæpe non multum profuerunt. Unguenta ſulphurata multis proficua, non paucis inutilia viſa. Immo autumno jam ad finem properante malum miteſcere quidem, minime vero curari videbatur. Duo ingens levamen tulerunt, factis primo ſupra dictis: unguentum ceruleum, ubi tota epidermis ſoluta fere, & lympha ſcatebat pars tota, & dein fumus ſulphuris panno molli laneo exceptus, & partibus adplicitus. Sunt, qui

qui ſpiritu juniperino adplicato ſe levari ajebant. Sed pleraque remedia juvabant principio, poſtea vero prorſus nihil. Illud Pharmacopææ Harlemenſis unguentum ad ſcabiem juvit nonnullos, alios autem minime.

Hos inter fœmina erat 30 circiter annorum, nupta, alioquin ſaniſſima, & prolifera, infantem lactans, ſed quandoque ſcorbuto aliquantum acriore laborans, quæ ipſa hyeme in fronte, ſupra ſiniſtrum ſupercilium, nonnulla exanthemata primo morbillorum inſtar, dein magis elata, & cruſtoſa, ſenſim proſerpentia juxta oculum, & genas ad mentum usque paſſa eſt. Adſpirante vere, & poplites utrosque, ambo brachia, tota ulnæ & radii longitudine, dein & integras ambas manus, digitosque undique malum occupabat. Collum dein undique hoc vitio deturpabatur. Disrupta ſenſim exanthemata cruſtoſa fudere materiem ſubflavam aliquando, ſæpe ſanioſam, plerumque aquoſam. Magna cum patientia uſa eſt, plus quam menſis ſpatio, decoctis leniorum antiſcorbuticorum, una cum pulvere parato ex florum ſulphuris uncia una, ſtibii diaph. non abl. rhei aâ drachmis duabus, ad drachmas tres de die, malo interim in dies creſcente. Pleraque unguenta, & emplaſtra ſupra relata, adhi-

adhibita ſunt exiguo cum effectu. Tandem mercurialia ſumpſit, ut ad ſalivationem vel me invito diſponeretur: ubi vidi ſalivationem inopinatam, promovi eam per menſis ſpatium, ita ut aliquando binas in die pintas ore redderet. Videbantur ita aliis in locis cedere, turpius in aliis propullulare cruſtæ, & humorum effuſiones; ut adeoque hac quoque methodo parum admodum profecerit. Cogitavi tentandam curam per ſudores; at vero, quum id negotia minus ferrent, tentavi, an purgantia ex rheo, ſulphure, antimonio diaphoretico non abluto, ſcammoneoque alterno, tertiove die exhibita, & fumus ſulphuris, pannis laneis exceptus, ac bis de die locis maxime ulceroſis adplicatus, ſolamen darent. Quinque ſeptimanis hæc peracta ſunt, & integre percurarunt.

Dum hi morbi cutanei acriter deſævierunt, cœperunt ineunte Junio graſſari variolæ, maximam partem confluentes, perduraruntque ſatis epidemicæ.

a) De Haen op. poſth. T. I. p. 229.

Altera generalis proprietas morbi varioloſi eſt propagatio ejusdem per contagium. Singulares hujus veneni proprietates, notante *Swietenio*, ad ſequentia revocantur:

1) Cer-

1) Certum eſt, morbum variolarum per contagium ab alio homine, qui hoc morbo laborat, vel laboravit paulo ante, acceptum propagari.

2) Nec conſtat ullo experimento, variolas unquam absque contagio in Europa natas fuiſſe.

3) Soli homines apti ſunt, ut hoc contagio afficiantur: nullo enim experimento conſtat, canes, aliave domeſtica animalia unquam infecta fuiſſe, licet in eodem lecto cum ægris manſerint, & lingua lambendo variolas jam maturas, pure plenas, tetigerint frequenter.

4) Per ipſum tamen morbum, a contagio excitatum, ſic diſponitur corpus, ut poſtea idem illud contagium, quocunque etiam modo, vel cuicunque corporis parti applicatum, impune ferat.

5) Quamvis plures, etiam frequenter huic contagio expoſiti, tota vita nunquam hoc morbo afficiantur, nemo tamen omnino certus eſſe poterit, ſe tota vita ab hoc morbo immunem fore.

6) Contagium hoc molem corpoream adeo exiguam habet, ut omnes ſenſus fugiat, & tamen adeo miro modo corpus humanum, etiam ſaniſſimum turbat.

7) Contagium illud poteſt irretiri viſcidis & tenacibus quibusunque, diverſis inhærere & adhærere corporibus, & diu quidem ſuperſtite manente vi morbum propagandi.

8) Contagium hoc miram habet potentiam, qua ſaniſſimos etiam humores in ſuam indolem convertit, ſicque in infinitum fere multiplicari poteſt. Minima particula puris varioloſi inficit ſuum hominem, uti per inſertionem variolarum manifeſte probatur: ſiugulæ variolæ ſuppuratæ in tali homine pus contagioſum ſimile continent, per quos morbus in alios denuo propagari poteſt. Octo vicibus, ſucceſſiva quaſi generatione, per inſertionem pus varioloſum natum fuit æque contagioſum.

9) Cum ergo tanta vi ſeſe multiplicandi hoc contagium polleat, plurimisque corporibus adhærere poſſit, & quidem integra manente efficacia, patet, quare in populoſis urbibus raro diu ſileat hic morbus, ſed frequenter repullulet, & contra in locis campeſtribus, undique aëri libero patentibus, nec frequens commercium cum urbibus majoribus habentibus, ſæpe per plures annos nullæ obſerventur variolæ.

10) Nec videtur major copia contagii recepti morbum pejorem producere, licet minima ejus copia morbo excitando ſufficiat. Tenue filum, parca puris varioloſi copia imbutum, facit ſimilem effectum, ac dum majus plumaceolum, eodem pure madidum crudo vulneri applicatur. Obſervationes certæ, & plurimæ docuerunt, ſimili modo affici hominem, qui per momentum temporis in infecto per hæc miaſmata loco fuerit, ac alter, qui per plures horas, imo dies & noctes ibi moratus eſt, adeoque procul dubio longe majorem contagii copiam hauſit.

Tertia generalis morbi varioloſi proprietas eſt, quod alio atque alio anni tempore, imo aliis annorum curriculis, facilius propagetur contagium, atque id etiam a corporibus ſuſceptum ægros, pro varia prægreſſa corporum conſtitutione, vario modo ſoleat afficere. Id eſt, variolæ diathesin *anni* & *corporis* ſequuntur. Egregie hanc rem *Huxhamus* illuſtrat.

„ Licet variolarum contagium eandem morbi ſpeciem excitet, morbus tamen ipſe gradu admodum differt. Unum idemque contagium in una eademque domo, familia, aut pago ſæpius valde differentes variolarum producit ſpecies; aliæ erunt valde benignæ &

 diſcre-

diſcretæ, aliæ valde malignæ & periculoſæ. Innumera occurrunt exempla, ubi primus benigna admodum ſpecie, hunc vero excipiens confluente, maligna, & mortifera afficitur: hæc quotidiana docet experientia; nihilominus, dum hæc cuncta fiunt, & peſſima in ſpecie intermèdia benigniſſimarum incidunt exempla. Ita ut omnis in eo conveniat demonſtratio, conſtitutionem ſingulorum ægrotorum mutare ſubſequentem morbum. — Atque hoc in omni fieri ſolet caſu: ſic enim conſueta quædam ſcabies in alio ſuppurat & pertinax efficit ulcus, in alio ingens dilaceratum vulnus vix ulla, vel nulla cum difficultate ſanatur. — Phlegmone vulgaris in alio reſolvitur, aut benigne ſuppurat, in alio fit gangrænoſa, ſcirrhoſa, vel cancroſa.

Variolarum contagium non ſemper febrim, ad minimum inſignem aliquem in gradum excitat, licet variolas afferat: nam plurimi infantes & adultioris quoque ætatis homines iis via naturali mitem in modum laboraverunt, ut neque febris ſenſibus evidens adeſſet, neque ullo tam ante illas, quam per totum earum decurſum malo afficerentur. — Variolarum pus ſæpe illorum cutem inficit, qui iſtis jam laborarunt, cum multas puſtu-

las

ſas excitet, quæ illis variolarum omnino ſunt ſimiles, cum tam diu perdurent, & æquali ratione matureſcant, ſed ſine ulla febre; quod illis ſæpiſſime contingit, quibus res eſt cum hominibus hoc morbo affectis, inprimis vero illis, quorum cutis eſt mollis & tenuior. In his contagium tantum glandulas cutaneas, cæteraque, non vero ſanguinem afficit; quem olim ita mutaverunt variolæ, ut poſtea id nunquam ſuſcipiat. — Peculiares quædam deprehenduntur conſtitutiones, quæ nunquam hunc morbum ſuſcipiunt; quidam enim homines nullo unquam tempore variolis affliguntur, licet frequenter eas tractent, & quoque hominibus eis laborantibus ſuccurrant. Nutricem vetulam & pharmacopæum cognoſco, qui per plures annos magno hominum numero in auxilio fuerunt, nihilo tamen minus unquam iſtis fuerunt affecti. Variolarum pus per inoculationem non quemlibet inficit; atque pus ex uno eodemque homine deſumtum varias variolas in variis hominibus, variosque febris gradus excitare, ſatis compertum habemus. Itaque ex his omnibus, ſtatum ſanguinis, & humorum indolem præcedentem, multum & ad quantitatem & ad qualitatem variolarum determinandam conferre, mani-

feſtum eſt. Non, quod miaſmata contagio ſa multo pejoris & efficacioris indolis alio tempore, aut alia aëris temperie eſſe nequeant; atque re vera in rerum natura ita fieri deprehendimus. Sed idem illud peculiari aëris ſtatui proprium eſſe videtur, ut alia aliaque ratione ſolida & fluida afficiat, qua ea aliis aliisque febribus reddat obnoxia. Aliam enim atmoſpheræ conſtitutionem ad febres inflammatorias, aliam ad febres lentas & nervoſas, remittentes, intermittentes cæteraque, ac aliam ad putridas, malignas aut petechiales excitandas pronam invenimus. — Igitur quando contagium cum una vel altera conſtitutione accedit, & cum illa ſimul agit, unam vel alteram variolarum, vel potius febres cum variolis excitabit ſpeciem. Nam haud raro profecto, pertinacem admodum febrim, paucas quidem valdeque diſcretas, aſt malæ indolis comitari variolas, deprehendimus. Ego quidem conſuetam aliquam febrim epidemicam manifeſte ſimul cum variolis acceſſiſſe, & contagium variolarum ſolum variaſſe morbum, vel potius febrim epidemicam ſimul cum variolis unum idemque ſubjectum affeciſſe, ſæpius obſervavi. Quod ſæpiſſime annis 1740, 1741, 1745 incidit; in quibus febris violenta epidemi-

demica ex peſtilentium genere, his præcipue locis inter nautas, milites & captivos ſæviebat, ubi plerumque ſymptomata febris malignæ cum variolis conjunctæ occurrebant evidentiora, ideoque iſtis inſigniter erant mortifera: cum e contrario hominum plurimi, quibus nullum cum noſocomiis erat commercium, aliasque ſatis valebant, ſpecie afficerentur benigniori. Atque febris hæc maligna probabiliſſime a peſſimo corporis habitu ſcorbutico, vitæ ratione, carcere, cæterisque, quibus iſta hominum turba erat ſubjecta, dependebat a)."

a) Huxham. Op. T. II. p. 123.

Major ergo vel minor morbi malignitas non a majori vel minori violentia contagii pendet, ſed potius a varia diſpoſitione corporis, cui contagium applicatur. Confluentium variolarum ichor multum differre videtur a pure variolarum diſcretarum & benignarum, attamen experimenta docuerunt, ichorem confluentium variolarum, & quidem lethalium produxiſſe mites & benignas variolas. E contra mitiſſimarum variolarum contagium quandoque produxit omnium peſſimas, quas vidi unquam, ait *Swietenius:* Juvenis *Amſtelodami* moratus per aliquot ſep-

timanas, in qua urbe tunc epidemico more graſſabantur variolæ, redit ad ſuos, qui in prædio vicino urbi *Leidæ* æſtatem tranſigebant, & tunc temporis nullæ ibi, nec in locis viciniis erant variolæ: absque ulla febre prægreſſa, nullis cum ſymptomatibus; huic juveni prodeunt variolæ diſcretæ, ſed paucæ numero, & evadit quam facillime, cum adeo levis eſſet decurſus morbi, ut ne quidem decumbere coactus fuerit, ſed liberrime per totam domum obambularet; erat autem laudabilis admodum temperiei juvenis, & moderate ſemper vixerat. Inficitur a contagio morbi adeo mitis amita ejus, quæ atrabilariæ admodum temperiei erat, ſcorbutica, & jam quadragenaria major; mox cum peſſimis ſymptomatibus decubuit, adeoque ſævus fuit morbus, ut totum corpus non tantum fœdaretur confluentiſſimis variolis, verum quinta morbi die ingentes veſicæ orirentur ſparſim per corpus, ichore adeo putrido plenæ, ut dum ægra movendo corpus, præ intolerabili anxietate, in lecto unam alteramve rumperet, tanta exhalaret mephitis, ut fere in animi deliquium caderem, licet ſatis aſſuetus ſimilibus tolerandis; nec potuerunt adſtantes ferre tantum odorem, niſi ori & naribus ſpongiam aceto fragranti madi-

madidam admoverent perpetuo. Filiæ miſeræ hujus ægræ non potuit ullo modo prohiberi, quin matri decumbenti adeſſet frequenter, & poſt mortem matris corripiebatur variolis, ſed æque mitibus, ac fuerant illæ cognati, qui contagium huic domui intulerat. Sicque feliciſſime hæc evaſit, quamvis peſſimi morbi contagio expoſita, absque ullo vitæ, vel formæ venuſtæ periculo. Hæc, & plura ſimilia, quæ in praxi vidi, faciunt, ut facile accedam ſententiæ *Meadii*, qui dicit a): „præterea plus mea opinione refert, in quale corpus infundatur, quam de quali eximatur peſtilentiæ virus.“ Merito autem damnat temerarios chirurgos, qui imbecillis, vel morboſis corporibus hunc morbum conciliabant per inſertionem.

a) Mead. de variolis & morbillis C. V. p. 84.

Cæterum de contagio hoc varioloſo ſequentia adhuc notanda ſunt:

1) Non quivis *humor* hominis variolantis vim contagii poſſidet: e. g. *ſanguis* homini varioloſo emiſſus alium non inficit, nec *urina*, nec *olidiſſimæ fæces*, nec *ſaliva*. Archiater *Hoffmannus* has omnes materias adhibuit, ut variolas inſititias efficiat, ſed vidit nullam his materiebus vim ineſſe.

Verum halitus ille fætidiſſimus, ſpecificusque, qui *perſpirando* & *exhalando* dimittitur, deglutitus, vel inſpiratus per pulmones, vel inhalatus per poros cutaneos, morbum efficit. Contagioſum quoque eſt *ſerum illud*, quod in vix apparente recentiſſimeque nato varioloſo puncto continetur, jam ante maturationem, pus dein & cruſtæ varioloſæ continent vim inficientem. Res captu difficillima, quare aliis humoribus nil inſit contagioſi. Hinc vis contagii proprie hæret in ſero, ſeu lympha potius, jam primo ſecundo eruptionis die viſibili; pus vero & cruſtæ videntur eatenus ſolum vim contagioſam poſſidere, quatenus aliquid illius vel ſeri, vel lymphæ continent.

2) Venenum varioloſum, quacunque ratione, & ubicunque applicetur humano corpori, homini morbum varioloſum conciliabit; non eſt ex illa venenorum ſpecie, quæ una ſolum via intra corpus ſubeunt: novimus enim dari venena, quæ per vulnus intra corpus immiſſum necant, deglutiuntur nihilominus innoxie.

3) *Hallerus* a) & *Cotunnius* b) negant interiora variolis occupari, ſeque nunquam ejusmodi reperiiſſe teſtantur. At *Stollius* c) in

in cadaveribus variolis defunctorum contrarium obſervavit.

a) Haller Phyſiol. T. VI. p. 00.
b) Cotunnii de ſedibus variolarum ſyntagma.
c) Stoll. rat. med. T. II.

Stadium contagii.

Morbi periodum nunc deſcribimus, qualis tunc obſervari ſolet, quando quam maxime regularis eſt. Hiſtoria enim variolarum regularium præmiſſa, eaque quaſi canone aut regula auſſumpta facilius poſtmodum intelligemus abnorme inordinatarum, confluentium, malignarum variolarum ingenium.

Omnis variolarum morbus in ſtadia ſex dividitur (loquor de variolis regularibus), quod inter veneni varioloſi primam ſuſceptionem, & inter initium febris varioloſæ interjacet. Quod ſi quis variolas nondum paſſus *inſitionem* quacunque ratione ſubeat; ſi is cum homine variolante converſetur, inde quidem contagium hauriet, verum tamen ſanus ſibi per plures adhuc dies videbitur, donec prima varioloſæ febris conamina experiatur. Plerumque ab infectionis die ad initium febris varioloſæ dies *ſeptem* numerantur, quo tempore vis veneni in corpus ho-

minis

minis cæteroquin ſaniſſimi oberrat. Hoc ſtadium erit apellandum ſtadium infectionis. An ſubinde corripiatur, an e contrario protrahatur aliquoties, nondum conſtat exacte. Maximi momenti eſt hoc ſtadium, & forte majoris, quam ſtadium ſequens. Maximum quoque inoculationis emolumentum eſt a bono curſu hujus ſtadii, bonaque directione. Id ſtadium in naturalibus prætervidetur. Hinc malorum lerna; pravum diſcrimen inter *naturales* variolas & *inoculatas*, ſeu artificiales.

Stadium ebullitionis.

Hoc ſtadio finito alterum incipit, febrile nempe, & quod communiter primum dici ſolet, non connumerato nempe altero illo *infectionis ſtadio.* Alterum hoc febrile ſtadium apellari ſolet, ſtadium *ebullitionis.*

Stadium ebullitionis ita decurrit: Æger queritur dedolationem ſine cauſa manifeſta; moroſitas, ſomnolentia peculiaris; rigor atque horror invadit, calor intenſus admodum ſubſequitur. Capitis & dorſi vehemens dolor, vomituritio, ingens in ſudores propenſio, in adultis ſaltem. Cardialgia & dolor ad ſcrobiculum, manum refugiens. Non ſolum ſomnolentia, ſed & ſtupor, & in in-

fan-

ſantibus etiam leves inter dormiendum ſubſultus tendinum, quin & inſultus epileptici. Hæc ſymptomata etiam dentitionem comitantur; at ſi ea peracta ſit, nullaque dentium provenientium adſint molimina, prædicere ex his motibus convulſivis ſat tuto variolas poſſumus intra octo fere horas prodituras. Vomitus etiam, facies tumidula, humidiores oculi; typum febris obſervat eum, ut quotidie plures, maxime verſus veſperam exacerbationes patietur, ſudore profuſo mitigandos.

Halitus peculiariter fœtens, & pravus ſapor. Proxime ante eruptionem convulſiones obſervari dixi, ſubinde tunc etiam deliria adſunt, ſcintillantes oculi, ſternutatio crebra, rubor, ſcabrities, pruritus cutis.

Stadium hoc tribus integris diebus concluditur, ſeu horis 72; quibus finitis *ſtadium eruptionis* inchoatur.

Cæterum de hoc ſtadio nota ſequentia:

1) Illud ſæpe multo brevius videri, etſi idem revera non ſit. Quidam enim primum febris initium *leviſſimum* experiuntur, ut ægrotare nec ſibi, nec aliis videantur; nihilominus perquam attentos non fallit hæc ægritudo.

4) Ar-

2) Artuum dolores rheumatici, & graves, merito damnantur, plerumque pravum variolarum genus notant; tamen dolores dorſi, & lumborum, capitis, & cardialgia ſunt individui comites variolarum etiam benignarum.

3) Convulſiones & ipſos epilepſiæ inſultus fauſto omine bonas variolas *Sydenhamo* prædicebant, hæcque nervorum affectorum ſymptomata innoxia eſſe teſtabatur. Nihilominus etiam *malæ* variolæ iisdem nervoſis affectionibus licet prægreſſis, ſæpius obſervabantur. Verum tamen, etſi bonæ notæ variolæ convulſiones ſequerentur, nihilominus convulſio, qua convulſio, ſemper periculoſum quid eſt, & ſubinde repentinam mortem infert. Convulſio enim modo apoplecticam, modo ſuffocantem, modo artus cujusdam ſyderationem, vocis jacturam irreparabilem, ſtrabismum non corrigendum, fatuitatem inducit, modo ſæpius redeunti epilepſiæ anſam præbet.

4) Vomitus dixi frequentes eſſe in hoc ſtadio, is ab erethismo ſolo nervorum ventriculi oriri poteſt, ſed ſæpius aliam cauſam agnoſcit, aſſumpta videlicet in ventriculo contenta, quæ, quemadmodum in acceſſione febrili multoties fit, ſuapte per os rejiciun-

ciuntur. Plerumque, niſi nimius ſit, ſalutaris eſſe ſolet, cum ventriculus ſponte a contentis repurgetur, quæ, ſi relinquerentur, non amplius concocta putreſcerent & morbum ſua putredine redderent multo graviorem. Hinc peſſimo conſilio cohiberetur.

5) Cardialgia peculiariter in hoc ſtadio obſervatur. Hæc ſubinde a pravis ventriculi contentis eſſe videtur, ut medicus inde emetici neceſſitatem concludat, errore plerumque non magno, quin etiam ſalutari, niſi ventriculus forte ſponte ſubvertatur.

6) Fœtor oris, non tam ſaburræ latentis ſignum eſt, ut quæ in hominibus ſanis cæteroquin non adeſt, ſed eſt peculiare quoddam variolarum ſymptoma, nullo emetico, nulla purgatione auferendum. Moneo hoc, ne ex hoc ſolo fœtore ſordes putridas in ventriculo latitantes nobis imaginemur.

7) Notandum, totam curationis felicitatem ſolummodo dependere ab hoc ſtadio ebullitionis.

Difficillimam omnino eſſe morbi varioloſi mox in initio cognitionem, omnes practici conſentiunt. Symptomata enim primum obvia ſummam habent cum febre epidemica tunc regnante ſimilitudinem. Contigit hoc *Swietenio* a): Puer & puella in prandio ab

avia

avia paulo lautius excepti fuerant; trihorio poſt inceperunt eodem momento temporis horripilare, frigere, & deinde incaluerunt. Sollicita hæc matrona utrumque in eodem lecto, ſed amplo admodum depoſuit, credensque ab onuſto ingeſtis ventriculo ægrotare, calidum potum aquoſum dedit, a quo vomuerunt ambo cum quodam levamine. Veſperi vocatus inveni utrumque febricitantem, & quidem ſatis valide. Cum epidemice tunc temporis regnarent variolæ, & ſequenti die continua febris pergeret, cum ſolitis plerisque ſymptomatibus, quæ hunc morbum comitari ſolent, monui, me hunc morbum ſuſpicari in ambobus. Ad initium quartæ diei febris ceſſavit in utroque; ſed ſimul in puero prodierunt papulæ diſcretæ, numeroſæ, & feliciter ex hoc morbo emerſit: puella autem ſurrexit ſana, & rediit ad parentes, nec aliquid mali poſtea paſſa fuit, licet variolis decumbentem fratrem inviſeret ſæpius. Non poterat ovum ovo ſimilius eſſe, quam febris hæc in ambobus illis, eodem tempore incipiens, eodem tempore deſinens, & tamen diſpar omnino fuit eventus. Sic vidi, verum eſſe, quod dixerat *Sydenhamus* b), dari febrim varioloſam absque variolis, monet enim: „Cum variolæ

eo

eo tempore latiſſime depopulantur, febris toto anno ſparſim oberrans, ejusdem plane inflammationis eſt particeps, quæ variolas parit. Uterque nempe morbus ad eandem ferme normam adoritur, maximaque inter maxime propria utriusque ſymptomata intercedit cognatio, excepta variolarum eruptione, & reliquis, quæ ab illa pendent."

a) Van Swieten Comment. ad §. 1387.
b) Sydenham. Op. Sect. I. cap. 2.

Longe jam probabilior redditur ſuſpicio, variolas inſtare, ſi æger nunquam antea morbum paſſus, contagio manifeſto expoſitus fuerit, omnium maxime, ſi morbum metuens ſubito viderit variolantem, vel recens ab hoc morbo reſurgentem, & maculis rubris adhuc fœdum, moxque horrore quodam perculſus ſit. Si hunc paulo poſt febris continua ſequatur, cum ſymptomatibus antea enarratis, variolas certo ſecuturas prædicere poſſumus.

Eſt autem febris varioloſa ſpecifica & ſui generis, in eo enim poſita eſt, ut miasma varioloſum ad cutim amandetur. Ab hac materiæ acris metaſtaſi inflammatio, ſuppuratio, gangræna.

Febrem hanc varioloſam, utut minimam perſæpe, nullisque aut vix ullis puſtulis judicatam, tamen a morbo vindicare obſervationibus conſtat. Notabilis circa hanc rem caſus legitur a). Septenni puellæ poſt ſymptomata communia morbi hujus incipientis, unica erumpit variola, quam medicus veram & genuinam affirmat. Poſt annum, parentes dubii, an hunc morbum paſſa eſſet, curant inſertionis methodo contagium applicari, ſed absque ullo effectu; tertio enim die integre conſolidatum erat vulnuſculum; idem tamen contagium ſex aliis applicatum, eodem vel ſequenti die, in omnibus morbum excitavit.

a) Academ. de chirurgie. T. 2. p. 560.

Frequentiſſimum vero eſt febris varioloſæ cum aliis febribus epidemicis conſortium, unde variæ & periculoſæ variolarum transmutationes obſervantur, ut in ſequentibus docebitur.

Methodum medendi in hoc ſtadio ebullitionis quod attinet, in hoc illa conſiſtit, ut miasma varioloſum ſpecifico antidoto deſtruamus, vel methodo indirecta vim hujus ſtimuli incogniti retundamus, atque ulteriores progreſſus inflammationis impediamus.

Metho-

Methodus ſpecifica.

Ab omni ævo, ex quo hic morbus innotuit, cogitatum eſt, qua ratione aut morbus vitari omnino, aut is reddi minus periculoſus poſſit. Ad ſequentia capita reduci hi hominum conatus poſſunt.

1) Quorundam conatus eo tendebant, ut humana corpora variis remediis ſpecificis ita immutent, ut miaſma varioloſum, utut ejusmodi applicatum, iners nihilominus maneat, & in actum non deducatur. Juvat pauliſper horum ideis immorari, & quid tentarint, breviſſime referre.

Arabes, hosque inter præcipue *Rhaſes*, phlebotomias largas, aceſcentia, ſaponacea proponit.

Agricola mercurium vitæ, ſtibium diaphoreticum hoc ſcopo commendat.

Ballonius tempore epidemiæ varioloſæ purgans primo, dein lenia cardiaca cuidam exhibuit, qui ea ſaltem tempeſtate a variolis immunis manſit. *Huic* ergo methodo hanc a variolis immunitatem adſcripſit.

Wedelius peculiari eam in rem ſcripta diſſertatione, *ſua* Bezoardica hunc in finem celebrabat; *Michaelis*, *Waldſchmidius* tincturas vitriolicas &c.

Sydenhamus, *Diemerbrœckius*, *Löw*, *Malouin*, *Ball* plurimum boni, & a variolis immunitatem ſperaverunt a blanda, & frequentiori alvina purgatione. Quidam alii lene ſubinde emeticum certius & efficacius avertere venenum varioloſum exiſtimabant.

Glauberus & *Gohlius* confiſi ſunt ſulphuri aurato antimonii. *Schreiberus* autem mercurio dulci; hunc ultimum ſecuti poſtmodum plurimi ſunt, quorum aliqui diverſa additamenta mercurio dulci junxerunt, quidam pauxillum maſſæ pilularum Ruffi, pauxillum extracti aloës, alii gummi quajaci, alii camphoram addiderunt mercurio dulci. Et ne intentatum quid relinqueretur, fuerat, qui ad avertendum miaſma varioloſum ipſo mercurio ſublimato, utut incraſſum, uteretur.

Lobb & *Schneidero* æthiops mineralis, vel ſolus, vel junctus balſamicis, anthelminticis &c. Hic poſterior regulum antimonii medicinalem commendat. *Hillary* ſtibium diaphoreticum non ablutum, junctum nitro. Anglorum non pauci corticem peruvianum. *Bercleius* & *Cantwell* aquam picis. *Thomſon* acida vegetabilia; *Navier* acida mineralia dulcificata.

Linné

Linné moſchum ruricolis commendabat, eoque etiam ſua familia utebatur ad variolas arcendas. *Kirkpatrik* ſuadet eundem in finem uſum aſæ fœtidæ, galbani, & camphoræ.

Quæritur, quid ſentiendum ſit de varia hac methodo variolas arcendi?

Reſpondeo 1) remediorum omnium hic commemoratorum virtutem variolas arcentem eſſe incertam, & forte nullam. 2) Moſchum & camphoram plus mereri commendationis, cum & a claris medicis collectæ obſervationes medicæ proſtant. 3) Attamen hæc ipſa duo remedia neutiquam ſemper & certo arcere. 4) Non arcere *pro ſemper*, ſed tamdiu, quamdiu homo iisdem utitur; etſi, dummodo certo hoc præſtarent, magno mortalium emolumento, tempore graſſantium malignarum variolarum adhiberi poſſunt, donec benignius quoddam variolarum genus ſuccedat.

a) Aliud quoddam hominum genus fuit, quod cum variolas arceri non poſſe certo conſpiceret, id operam dedit, ut licet varioloſum miaſma jam juxta corpus receptum ſit, licet febris primaria jam ſit exorta, & puſtulis varioloſis obortis judicetur, id operam, inquam, dedit, ut hæ recenter in cutem projectæ puſtulæ ab ulteriori ſua evo-

lutione, ſcilicet a maturatione, ſuppuratio, neque cohibeantur, & puſtulæ hæ, tanquam totidem recentes inflammatiunculæ mox denique reſolvantur.

Hæc idea jam fuit ipſorum Arabum, *Rhaſis* præcipue, quam denuo *Boërhaave* reſuſcitabat. Hinc phlebotomiæ, & refrigerantia commendantur, atque omnis antiphlogiſtica methodus. *Læber*, *Varnier*, *Rœderer* nonnunquam hac methodo uſi.

Quid boni ab hac praxi ſperandum, quid mali timendum? Reſpondeo:

1) Hæc praxis finem non obtinet. 2) Eſt etiam non raro perquam periculoſa: primum ideo, quia puſtulæ varioloſæ, utut ſint *inflammatiunculæ* totidem, ab alia inflammatione fors facile benigne reſolvenda eſſentialiter differunt; eſt enim inflammatio *ſpecifica & ſui generis*, plerumque, & ferme ſemper non reſolubilis reſolutione benigna. Verum quidem eſt, dari ſubinde, ſed perraro, *febres varioloſas ſine variolis*, ſudoribus ſolis judicatas, id eſt *febres varioloſas* ſine variolis. Verum etiam eſt, dari in omni morbo varioloſo quasdam puſtulas, quæ denuo diſparent, non maturatæ, non ſuppuratæ. Verum etiam eſt, in hominibus, jam olim variolas paſſis, ſi cum variolantibus commer-

mercium habeant, e. g. in nutricibus, ægrorum cuſtodibus, variolas oriri, ſponte denuo evaneſcentes, absque ſuppuratione. Verum tamen febris varioloſa ſine variolis eſt primo rariſſima, deinde non eſt artis opus, ſed idioſyncraſiæ ignotæ, per artem non comparandæ. Præterea mites cæteroquin variolas, & mites ex alia cauſa methodo huic fortaſſe in acceptis referebant. Sed etiam eviluit hæc methodus, atque ipſi hujus fautores eandem, collectis obſervationibus compluribus, deſeruerunt.

Methodus indirecta.

Cum igitur ea felicitas humano generi nondum contigerit, ut ſpecificum tanto malo remedium inventum ſit, id tantum ſupereſt, ut methodo *indirecta* febrim varioloſam efficiamus quam mitiſſimam, puſtulis *pauciſſimis* judicandam, ad prævertendos ſcilicet inflammationis validæ effectus, ſuppurationem largam, & gangrænam. Raro enim, quin rariſſime, aut etiam nunquam evenit, ut incitanda febris ſit, & monendum omni modo eſt, ne, ſi forte hominem vix febrientem videamus in hoc ſtadio, cæteroquin bene ſe habentem, & obambulan-

tem, ne ſpe expellendarum variolarum febrim ſuccendamus. At vero, ſi videris ægrum ſumme debilitatum, evacuationibus quibuscunque ante morbum exhauſtum, debiliter micante pulſu, ſi is ſtatus ægri ſit, qualis ſolet quorundam eſſe, qui e maligna febre decumbunt, tunc utique erigendæ vires eſſent, & cardiacis exſtimulandæ.

Methodus autem hæc indirecta variolis medendi ad ſequentia capita revocatur.

1) Diæta ſit, ut in omni febre acuta, excarnis, refrigerans, antiſeptica, eupepta. Paretur ex fructibus horæis quibuscunque; ex cremore hordei, oryzæ; potu acidiuſculo. Abſint lacticinia, leguminoſa, & juſcula meraciora.

2) Uſus eorum, quæ virium animalium torporem excutiunt, vitalium motus componunt. Maximum emolumentum in hac prima varioloſa febre habetur ab ipſa ægroti habitatione. Siquis unquam morbus eſt, qui ſpatioſum cubiculum, & ſæpius perflatum, luſtratumque requirit, is certe morbus eſt varioloſus, qui gravi & ſpecifico fœtore aërem contaminat. Hinc etiam tanta inoculatorum felicitas, & eventus tam proſper, quod inter alia multiplicia commoda, hoc recentis auræ munere, in horto quotidie veſcan-

ſcantur. Certe vix quidquam eſt, quod orgaſmum humorum præcipue ad putredinem diſpoſitorum ita temperet, quod calores exurentes, capitis tumulentiam ita comprimat, ut aëris libertas. Non hic de quovis aëre libero & non concluſo libero loquor, ſed de aëre etiam *frigidiuſculo*, amœno, reficiente. In more habuimus in annua noſtra inoculatione, varioloſos, ſi aut febris reſurgat, aut mens vacillet, aut convulſionibus infeſtentur, aëri libero, frigidiuſculoque exponere, effectu miro, & inſtantaneo, atque conſtanti. Aëris liberioris, frigidiorisque tunc maxime habenda erit ratio, cum metus eſt, ne febris putrida variolis jungatur. Certiſſimum eſt, multisque evictum obſervationibus, dies caniculares vim maximam habere in variolas, easque æſtivis caloribus in malignas plerumque converti. Verum nonne caniculares æſtus imitamur, vel ipſiſſima media hyeme, dum ſuccenſo fornace cubiculi aërem ſuccendimus?

Quod autem de aëris frigidiuſculi præſtantia dictum eſt, id etiam quodam modo de potu valet, qui frigidiuſculus quoque propinandus eſt; & de lecti calore, qui maxime nocet variolantibus. At in his etiam certi quidam limites ſunt, intra quos me-

thodi refrigerantis ſalubritas conſiſtit. Vidit *Stollius* in infante diram peripneumoniam ſubortam fuiſſe, cum gelidiſſimæ brumæ intempeſtive exponeretur. Somnus, ut in omni febri acuta, ita in variolis maxime obeſſe ſolet, convulſionibus enim amiciſſima eſt ſenſuum internorum, externorumque feriatio.

3) Cum tantum ſit febrium epidemicarum in variolas imperium, omnis utique medentis cura eo debet dirigi, ut conſortium talis febris variolas quam minime abnormes efficiat. Audiamus ipſum *Stollium.*

„ Febris æſtiva cum morbillis etiam & variolis in ſocietatem coibat. Id genus conſortii in varioloſo vidimus, atque in omnibus omnino morbilloſis, quotquot in noſocomio per totam æſtatem ea infirmitate defungebantur.

„ Obſervatio horna, aliæque, quas animo perattento, a præjudicatis opinionibus libero, atque ut prolem amatam afflictis parentibus ſervem, mire ſollicito, in Hungaria collegi ſinceras, & numero non pauco in eam me ſententiam adduxere, ut variolas & morbillos eundem ſemper morbum, eumque benigniſſimæ indolis, ſi non omni ſemper, at ſaltem potiori tempore, reputarim,

rim, quive ſoli, atque extra conſortium pravum cito decurrunt, & periculo carent, ſed quos a miti ingenio ſuo populare temporis vitium detorquet, efferatos reddit, & exleges.

Ex hac opinione eam mihi legem in ſanando utroque hoc morbo ſtabilivi, ut febrim epidemicam, cujus præſentiam & commixtionem, cum ipſe annomalus variolarum, morbillorumve decurſus, tum propriæ epidemiæ ipſius notæ me edocuerant, methodo efficaci & directa curem, ea ſpe fretus, fore, ut qui a ſuo ingenio abducti fuiſſent variolæ & morbilli, malo utpote conſortio uſi, denuo ſuapte ad frugem redeant. Nempe & leviculum vulnus, & non magni momenti ulcus videram mores pravos induere, atque ob febris popularis ſocietatem benignæ indolis prorſus oblivifci, neque alia ratione res poſſe in integrum reſtitui, niſi eo conſortio diremto, & epidemico vitio ſublato. Quidni eandem quoque vim variolofis ulcuſculis epidemia intentet? quidni intentatam arceamus eodem modo, & illatam propulſemus?

„Quæ animo conceperam, effeci, & nulla, aut vix ulla variolarum ipſarum aut morbillorum ratione habita, totus quantus in

eo

eo eram, ut in febrim popularem inquirerem, ſi complicationem ejusdem ex ſignis ſuperius recenſitis conjectaram, eique mederer non per ambages, ſed e directo. Hinc phlebotomiarum, purgationum, vomitoriorum, veſicantium, antiphlogiſticorum, antiſepticorum, opiatorum &c. is mihi uſus in variolis, & morbillis fuit, quem ipſe epidemici morbi genius eo in homine ſibi popoſciſſet, ſi nullæ aut variolæ, aut morbilli fuiſſent complicati. En, quo infortunio, quave fortuna meum ipſe propoſitum ſim executus!

Murarius 17 annos natus, vegeta hucusque valetudine uſus, & corpore robuſto, die 19. Maji veſperi capite doluit, non appetiit, ſitivit. Lingua modice ſcabra: epigaſtrium totum tendi ſibi, & præter morem repleri videbatur; dædolatio; dormivit.

20. Maji modice incaluit. Cephalalgia major: præcordiorum, ac ad umbilicum pungens dolor cum ardore: lumborum dorſique ardor, & tenſio: debilitas major; urinarum copia; anorexia & ſitis aucta; linguæ aſperitas: noctu quies.

21. Capitis dolor major, lumborum minor; totius abdominis dolor intenſior, pungens, ardens: cætera, uti pridie. Obambula-

bulavit, & ad conſuetos labores feſſum corpus coëgit. Somnus.

22. Præcordiorum immanis ardor, manentibus cæteris. Sudatiunculæ, nox bona.

23. Heſterna graviora. Sudores. Abdomen inflatum, diſtentum; dolores. Veſperi paucæ puſtulæ varioloſæ prorupuerunt.

24. Puſtulæ vix plures: ſymptomatum exacerbatio, cephalalgia tamen remiſſiore: ventris profluvium.

25. Alvo denuo adſtricta cephalalgia gravius vexabat. Ingens ſitis, & præcordiorum, totiusque abdominis, lumborumque moleſtiæ ingraveſcebant.

26. Lingua areſcens, ſapor amarus; nox inſomnis.

27. Mane nobis committitur. Variolæ paucæ, minutiſſimæ in facie, pectore, manibus. Petechiæ multæ, per dorſum præcipue, variolis interſperſæ. Sumto eo die potu multo, aquoſo, acidiuſculo, mellito, ſalino, veſperi multam ductilemque pituitam ſponte vomuit Ea nocte abdomine minus doluit; non ſitivit. Variolæ, veluti recluſo carcere confeſtim prodierunt. Nox multo tranquillior, ſed inſomnis.

28. Omnia mitiora. Urina jumentoſa cum hypoſtaſi imperfecta, furfuracea: oris

ama-

amaror, impedita deglutitio, & ardor faucium, quas albicantes puſtulæ occuparunt. Epigaſtrii minor dolor: puſtulæ plurimæ in facie, pectore, brachiis; petechiæ in dorſo multæ, roſeæ, lenticulari ambitu.

Cum ea tempeſtate commixtum genus febrium vigeret, ubi & ſanguis phlogoſin conceperat, & ventriculus ſordibus redundarat, venam primo ſecuimus, dein movimus emeto-catharſin: multam pituitam & bilem eduximus eo cum eventu, ut abdomen mox a vomitu non doleret, extincta ſiti, calore nullo, & pulſibus ordinatis. Noctu ſomnus multus, tranquillus, non interruptus, reficiens. Sanguinem phlebotomia eductum cruſta tegebat gelatinoſa, diffuſa, livida.

29. Nulla febris. Tonſillæ tumidiſſimæ, & palatum numeroſis, albicantibus, miliformibus puſtulis exaſperatum. Variolæ in facie confertiſſimæ, confluentes, complanatæ, intropreſſæ: in brachiis faſtigiatæ, elatiores, ampliores, rariores, diſcretæ: in manibus confluentes, & planæ: in dorſo quædam confluentes, diſcretæ plures; ſed & hæ aut complanatæ, aut intropreſſæ, quarum aliquæ apice erant cinereo, liventeque, & ambitu omnes læte roſeo. Per medium dorſum pe-

techiæ

techiæ multæ punćticulares, & rubedine diluta floruerunt. Appetit. Urinæ naturales; variolarum plerarumque bonus color; ſed nullus ob faucium ardorem de nocte ſomnus.

30. Labia, baccæ, lingua, fauces puſtulis numeroſis, albidisque refertæ. Nullus ullibi, præterquam in faucibus dolor, nulla prorſus ſalivatio, nullus faciei tumor, nulla febris. Oculi lachrymoſi; alvus ordinata; pauciores petechiæ.

31. Puſtularum incipiens flavedo; modiciſſima febris; petechiæ perquam paucæ, & profunde flavæ. Facies non tumet, vix veſtigium ſalivationis. Potiſſimam diei partem extra lectum, & ambulando transegit.

1. Junii facies & hypopia tumebant. Noctu ob reſtitantem ptyaliſmum ſtrangulatio; at alvo crebrius mota, & ſalivatione redeunte, mox allevatus eſt. Manuum tumor, faciei humore inferiora petente.

3. Copioſus ptyaliſmus. Venter ſalibus & manna ſollicitatus, & fluens: vix febricula. Urinæ multæ. Potus largus, emolliens, diureticus, acidiuſculus ob admixtum acidum vitriolicum.

6. Venter hucusque profluens, ſalivatio parca: noctes tranquillæ: exiguus ad carpos tumor: puſtulæ exſiccatæ.

13.

13. Bene per omnia habuit. Pruritum moleſtiſſimum lenivimus, cum reſiccatas puſtularum cruſtas lacte tepido emolliremus.

Hoc tempore plures furunculi enaſcebantur, unde dolor, & pervigilium, largave ſuppuratio ægrum ipſis variolis multo immitius habuerunt.

Cortex peruvianus profuſam puris copiam prohibuit. Inde & vires rediere, duro, quo utebatur, opificio prorſus pares."

Cæterum duratio hujus ſtatus varia eſſe deprehenditur.

1) Pro varietate epidemica. Dum variolas epidemicas annorum 1667, 1668, & partim anni 1669 deſcribit *Sydenhamus*, notat, quod quarto utplurimum die a prima morbi invaſione prodierint, nonnunquam & aliquando ſerius, ante quartum autem diem rariſſime. Verum annis 1670, 1671, 1672 obſervavit, diſcretas variolas tertio jam die erumpere, atque etiam periculoſiores eſſe, & ad confluentium indolem propius accedere. Præterea quandoque contingit, conſtitutionem epidemicam talem eſſe, ut omnes fere variolis confluentibus decumbant, quæ ſolent tertio, imo quandoque ſecundo die prorumpere.

a) Pro vehementia morbi. Confluentes dictæ variolæ validiorem febrim comitem habere ſolent, & pluribus, ſævioribusque ſymptomatibus ſtipantur, quam diſcretæ ac benignæ, ſed & citius erumpunt: ſic etiam diſcretæ illæ, anomalæ dictæ *Sydenhamo*, tertio die prodibant, ſed pejoris erant indolis, ut modo notatum fuit. Septima die febris erumpentes variolas regulares, mites, atque benignas, ſemper hucusque ſe obſervaſſe teſtatur *Violante* a), quod temporis intervallum ab incepto morbo in illis locis, ubi praxin exercui, nondum mihi videre contigit, ſi nempe bonæ & mites variolæ prodirent poſtea; aliquoties enim adeo tarde prodeuntes obſervavi, ſed ab initio morbi proſtratæ fuerunt illico vires, & prodierunt variolæ nigræ, cum maculis purpureis, brevique mors ſecuta fuit. Interim egregio & candido huic viro plenam fidem non negavero; procul dubio enim in diverſis regionibus varietas in duratione primæ periodi hujus morbi occurrit. Sic regius Archiater *Erndtelius* b) Warſaviæ morbos deſcribens dicit: Variolæ periodis conſuetis longe ſolent eſſe lentiores ac ſegniores, neque quinario facile abſolvuntur dierum numero ter repetito, ſed ſeptenario potius, ita, ut tres

vel quatuor ſeptimanæ tranſeànt communiter, antequam totaliter earum virus defervescat, ac de purgatione cogitare poſſet medicus. Cum autem prima periodus variolarum terminetur eruptione, ſecunda maturatione, tertia autem finiatur exſiccatione, videtur ſatis veroſimile, quod primo ſeptenario abſoluto papularum eruptionem viderit. Imo apud *Diemerbrœckium* c) legitur de muliere triginta annorum, quæ nunquam variolás paſſa fuerat; cum autem variolæ tunc temporis graſſarentur, febricitaret ægra, ſomnolenta eſſet, de cardialgia conqueretur, cum gravitate capitis, & leni aliquo intercurrente delirio, hunc morbum ſuſpicatus eſt *Diemerbrœckius*, & cum jam in prognoſi ſe deceptum crederet, vigeſimo morbi die eruperunt papulæ, morboque feliciter ſuppurato convaluit. Rarum oppido exemplum, nam & ipſe autor fatetur, ſe tantum ſemel tardam adeo eruptionem variolarum obſervaſſe.

a) Violante de variol. & morbill.
b) Erndtelius Warſavia phyſice illuſtrata.
c) Diemerbrœck. de variol. & morbill. p. 293.

3) Pro temperie ægri. Conſtans obſervatio eſt omnium medicorum, periculoſius

hoc

hoc morbo decumbere illos, qui ſanguineam habent temperiem, in ipſo ætatis flore ſunt, & lautæ diætæ indulſerunt. E contra cæteris paribus, levius afficiuntur illi, qui nondum ad pubertatem pervenerunt, laxiori corporis habitu prædìti ſunt, & ſi per largas evacuationes morbum incipientem prægreſſas vaſa depleta fuerint. Quod & confirmatur obſervationibus *Violante*: „Cæterum pluries retardatum variolarum exortum a copia ſanguinis per nares effluxi, vel diarrhæa, obſervavi, & variolæ, ut tardiores, ſic rariores, & interſtinctæ fuerunt, minoremque ſuam malignitatem, & vitæ periculum, ob ante actas evacuationes, attulerunt.“

Stadium eruptionis.

Poſtquam hoc ſtadium febris varioloſæ, quæ 48 horis concluditur, ad finem properat, ſudores largius profluunt, interque eos prima puſtularum rudimenta prodeunt. Primæ hæ puſtulæ puncta referunt rubella, rotunda, quaſi totidem acuum capitella (de ordinatis & regularibus variolis loquor) pone naſum, ad labium oris ſuperius, demum & in reliquis faciei plagis, tandem in manibus, in antibrachio, collo, & ſupremo tho-

race variolarum primitiæ conſpiciuntur. His prorumpentibus febris mitigari, componi ſymptomata paulo ante intenſa, quin apyrexia plena obſervari, ſudoribus interim continuatis, atque puſtulæ in dorſo, latere thoracis, utroque abdomine, femore gemino, cruribus, pedibusque comparent.

Nonnunquam & capillata capitis pars puſtulas profert, nonnunquam & pedum plantæ, ubi loci, ob cutis intractabilem craſſitiem difficulter erumpunt, & inflammatis pedum plantis, quaſi totidem clavi, intenſum dolorem efficiunt.

Poſtquam primum variolarum agmen in conſpectum prodiit, febris omnis ita difflata eſt, ut altero die ejusdem ne veſtigium compareat; hoc ſi contingat, pauciſſimas puſtulas æger proferet, & haud fere plures, quam quæ jam prodivere. Quod ſi vero altero eruptionis die levis denuo febris exacerbatio advertatur, nova inter obortos ſudores variolarum eruptio fiet.

Ex febris varioloſæ exitu variolarum prædices multitudinem. Febre enim penitus diſparente, exiguus erit puſtularum proventus; at vero febre ſolum mitigata, vis variolarum multo major orietur.

Juvat

Juvat hic figuram habitumque puſtularum a prima ipſarum geneſi accuratius, atque minutim perſequi; cum medico, uti & adſtantibus interſit, dignoſſe, quid effloreſcentiarum præſens exanthema ſit.

Primo eruptionis die nil comparebit, niſi plagulæ, aut maculæ rubræ, quaſi totidem morſus pulicum, nulla interim protuberantia exanthematis obſervatur. Atque hoc rerum ſtatu nemo certo prædixerit, variolas prodire, aut prodituras, niſi forte ex regnante epidemia, ex cognito contagio hominis, qui nullas hucusque variolas paſſus eſt, id potius harioletur, quam certo aſſirmet.

At vero altero eruptionis die *diagnoſis* variolarum ab alio exanthematum genere fieri poteſt. Punctum, ſeu macula rubella, modice elevatur, in ejusque medio punctum albicans, & ſplendens ſphæroideum aſſurgit, quod identidem grandeſcit, & albicat, donec finito die tertio, ſeu ſi initium ducas ab initio febris varioloſæ, die ſexto, plena ubique eruptio ſit abſoluta.

Quæ ad diagnoſin prognoſinque hujus ſtadii pertinent aphoriſmo 536. enumerantur.

Mortem in hoc ſtadio eruptionis contigiſſe præ violentia inflammationis, non aut

vix prodeuntibus variolis, exempla quædam *Hænius* adnotavit a).

Juvenis 20 annos natus, ſaniſſimus, euſarkos, temperate ſemper, religioſeque vivens, quem 22. Martii febris inceſſit varioloſa. Venæ ſectio larga illico facta eſt. 23. Martii purgans antiphlogiſticum datum, pediluvia inſtituta, adplicata pedibus epiſpaſtica, nitroſa diluentia data pro potu; habuit inde paulo mitius, niſi quod lumborum dolor præprimis vexaret. Die 25. variolæ prodire cœptæ, & tum, ſi lumborum dolorem excipias, melius habuit. Diluentia, nitroſa, ſubacida affatim exhibita; pediluvia, epiſpaſtica aliaque fuere continuata. Die 26. hora ſecunda pomeridiana accedens, penitus inhorrui. Variolæ quippe haud amplius prodiere, quæque heri rubra ſtigmata adparebant, jam tenues, parvæ, ac planæ veſiculæ viſebantur, quin & purpureæ jam in facie, dextraque manu maculæ. Urinam reddiderat hora matutina quarta ſanorum inſtar, ſexta vero, ut & bis deinceps plane ſanguineam. Conclamatum ex Sydenhamo ægrum cenſens, tamen in extremis extrema tentanda eſſe ratus, nihilominus tamen & famæ ſtudens, alium medicum mihi jungi popoſui, intereaque enema emolliens, & diacodiatum

præ-

præſcribo emulſum. Accedo poſtea cum expertiſſimo *Weſterhofio*, unitaque operâ vim enormem, & acrimoniam ferocientium humorum conabamur moderari miſſione ſanguinis largiſſima, enemate quovis bihorio repetito, cataplasmate emolliente toti ventri, lumbisque obvoluto, copioſo lacte ebutyrato epoto, & medicamento ex decocto hordei, roob ſambuci, oxymeleque ſimplici parato. Sanguis prima morbi die miſſus omni fuit nota bonus, qui vero in hoc ſummo diſcrimine mittebatur, ne hilum quidem concreſcens, ſed diſſolutus manſit etiam altero conſpectus die. Urina quoque prorſus ſanguinea ad usque mortem perſeveravit. Die 27. Martii hora 4ta matutina deliravit, & hora ſemioctava proxima convulſus interiit.

Puella alia quadriennis corripitur febre varioloſa: ſecta eſt vena, laxantia, enemata, pediluvia, epiſpaſtica pedibus adhibita ſunt, tertio die convulſio valida orta præſagium futurarum variolarum benignarum dabat, at fefellit omnino: nam licet nuchæ veſicans adplicatum, & enema injectum fuiſſet, repente convulſa infans interiit die tertio.

Quamquam fauſtus absque morte, tamen ad hunc quodammodo numerum referri meretur caſus ſequens: Die 24. Martii

 uxor

uxor D. L. febre varioloſa jam a biduo detenta me vocat. Lactabat infantem 17 menſium, quam mox removendam dixi. Quinquies jam interea dum lactaret, menſes habuit, quorum ultimos ante dies quindecim. Cœpi agere, ut ſupra. Die 25ta levia hinc inde ſigna variolarum, ſed vix viſibilia; alvus de die valida, liquida; crebra. Die 26. variolæ vix proceſſerant, & plusquam viceſies depoſuerat alvum liquidiſſimam, minime torminoſam. Ab ebutyrato lacte arceo, diætam avenaceam impero, & præſcribo conſervæ roſarum rubr. unciam dimidiam, ſyrupi diacodii unciam unam, ut illico ſumat dimidium, & ſi alvus pergat, ſex horis poſt reliquum. Obaudiit alvus ita, ut ſemel tantum deponeret; quæ cum hora poſt meridiem tertia recrudeſceret, ſumſit hora quarta reliquum. Veſpere inviſi, & jam prodiere confluentes ubique; inſomnis manet. Sub noctem irrupere menſes, perrexereque die 28vo. & ſequente copioſi; ibant nihilominus omnia bene. Cum alvus minaretur reditum, mane, & ſero dedi ſyrupum diacodii, interim noctes erant inſomnes. Die 29. mane variolæ vix augeſcunt, vix rubent; alvus nulla; menſes copioſi. Sub veſperam menſes ſolito ritu jam adparent. Pergebam

cum

cum pediluviis, & epiſpaſtica adplicare pedibus, etſi menſes fluerent, tum quod a triduo levi delirio continuo, illico tamen reſipiſcens, laboravit, tum quia toties viſum eſt, quam parum ejusmodi faciant, etiam ubi de induſtria, ut menſes fluant largiores, adhibentur. Die 30. Martii, utpote poſt fluxus diem quartum menſes finiere, ex quo tum uti cœpit decocto ex radice chinæ, ſarſaparillæ & graminis cum roob ſambuci, & veſpere ſyrupo diacodii. Alvus hinc quotidie cocta. 2. Aprilis accepit decoctum graminis & ſcorzoneræ itidem cum roob ſambuci, quocum omnia ibant in melius, ut die 5to valeret optime.

a) De Hæn. op. poſth. T. I. p. 250.

Durante hac cutanea criſi, eadem, quæ in priori ſtadio, medendi methodus, idemque regimen obſervanda ſunt. Calido enim regimine tum in ebullitionis, tum in hoc eruptionis ſtadio nil magis peſtiferum eſſe, *Sydenhamus* hortatur. „Sollicite cavendum eſt, ait, hoc tempore præſertim, ne nimium aſſurgat ebullitio, ſive id fiat ex congeſtis ſtragulis, ſive ex aëre loci, in quo decumbit æger, igne nimium calefacto, ſive ex calidorum medicamentorum, & cardia-

corum uſu; præcipue vero ab his cavere oportet, ſi æger in ætatis flore conſtitutus fuerit, vel ſanguinem habeat generoſiori potu nimis exaltatum, vel anni tempeſtas aut verna ſit, aut ſaltem ultra æſtatis initium non proceſſerit. Hinc enim fiet, ut ſeparatio, quæ ſenſim, lentisque gradibus peragi debebat, ut ad univerſalem quandam deſpumationem opportunius pergat, præcipiti curſu feratur; atque ita vel non ſatis idoneus partium numerus congregetur, vel quod forte contingat, nonnullæ partes ad ſecretionem damnentur, quæ alias natura illam ſubire noluiſſet, niſi quod ultra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc ſibi creet: ſecretis enim illis, quæ ad ſuppurationem minus opportunæ ſunt, aliorum illuc propendentium motus, eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulſioni minus accommodæ. Mihi quidem rationi conſentaneum videtur, ut quo diutius natura ſeparationem molitur, ac perficit, dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque univerſalius eadem ſeparatio abſolvatur. Atque ex illa ſic abſoluta, curationis inſequentis ſucceſſus potiſſimum dependeat neceſſe eſt, uti ex methodo contraria contrarius plane rei exitus; ex calido enim iſto regimine

nihil

nihil boni naſcitur, ſicut ex præcoci fructu nihil frugi: cum frequenter uſu veniat, ut vel in phrenitidem æger prono lapſu ruat, vel, quod pejoris notæ eſt, ſudores ingentes oboriantur, ex quibus partes non ſecerni aptæ, neque puris naturæ reſpondentes (quod ipſum tamen pus genuina ſoboles eſt hujusce excretionis) eliminentur, vel ex cardiacis illis adminiſtratis, calidaque cuſtodia, variolæ nimis protruſæ in unum confluant, fœdo certe ſpectaculo, triſtemque eventum interminanti. Atque hæc, & hujusmodi ſymptomata ex his erroribus progigni ſolent, cum ex altera illa methodo nihil unquam mali obſervaverim. Natura enim ſibi permiſſa negotinm ſuum ſuo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum ſecernit, tum etiam expellit, ut, in junioribus præſertim vegetisque temperamentis, noſtra ope, noſtris artificiis, atque auxiliis non indigeat, ſuis viribus optime inſtructa, ſuis opibus locuples, ſuo denique ingenio ſatis edocta, Neque ſane vel ipſe vidi, vel fando accepi, quemquam ex eo periiſſe, quod variolæ primo non eruperint, etſi nimis multi perierint, quorum variolæ primo laudabiliter, & cum ſumma ſpe erumpentes, poſtea recedentibus ſtimulis præmature de-

tumue-

tumuerunt a)." Et poſtquam methodum ſuam medendi expoſuit, ita finit:

„Hæc ſane, reclamante licet immani ac male fundato hominum præjudicio, quod ex adverſo militat, vera eſt, ac genuina methodus huic variolarum generi medendi, & obtinebit demum, me vita functo. Et licet non negem, multos regimine admodum oppoſito tractatos nihilominus convaleſcere, fatendum eſt tamen (& ſane dolendum etiam, ſi nobiscum reputemus, quam omni prorſus periculo vacat ex ſua natura hoc *diſcretum* genus), plurimos etiam interire, quin & alii complures fatis pariter concederent, niſi vel a frigidiore tempeſtate, in quam incidit morbus, vel a phlebotomia (aliter ſupervacanea atque inutili), nuper celebrata ſervarentur. Quo nomine, ſi vel obſtinatio amicorum, vel ægri diffidentia prædicto regimini intercesſerit, tutius mihi videbatur ſanguinem detrahere; quod quidem, licet in hac ſpecie per ſe officiat, quatenus ſcilicet & ſeparationem perturbat, confunditque, & pabulum inſuper tum puſtulis, tum tumoribus elevandis deſtinatum ſubducit, aliquantiſper tamen ſecuturum regimen calidius penſat, ac proinde hanc, quam non niſi coacti uſurpamus, methodum, non usque adeo periculoſam

riculoſam atque ancipitem reddit. Ex dictis, ut obiter attingam, facile erit vulgare illud problema ſolvere, qui fiat ſcilicet, ut perpauci adeo e plebe hoc morbo pereant, ſi ad eos comparentur, qui inter divites eodem trucidantur; quod quidem vix ad aliam cauſam poteſt referri, quam quod ob rem domi anguſtiorem, & agreſte vivendi genus vix illis fiat copia ſibi nocendi regimine magis accurato, ac delicatiori. Quin imo & plures inter vulgus jugulavit hic morbus, ex quo mithridatis, diaſcordii, decocti C. C. &c. uſum didicere, quam in ſæculis *indoctioribus* quidem, at magis *ſapientibus*; cum in ſingulis ferme ædibus reperiatur ſtolida aliqua, ac ſciola muliercula, quæ in hominum perniciem, quam non didicit, artem exerceat b)."

a) Sydenh. de variol. regul.
b) —— l. c.

Stadium maturationis.

Puſtulis nunc excitatis criſis varioloſæ febris peragitur, metaſtaſi ſcilicet ad corporis ſuperficiem facta. Ea ratio eſt, quare in regularibus variolis, abſoluta hac criſi cutanea, febris nulla amplius obſervetur. Quod

ſi

ſi puſtulas has a metaſtaſi cutanea ortas *benigne reſolvere* poſſemus, uti id nonnunquam in ſuborta parotide poſſumus; ſi puſtulas valeremus a futura ſuppuratione cohibere, morbus omnis finitus eſſet.

Verum ea eſt furunculorum horum, aut ſi mavis, metaſtaſium harum natura, ut pauciſſimæ benigna reſolutione ſolvantur, diſpareant, plerumque alios inflammationum exitus quærant. Locus quidam, ubicunque inflammatus, qui benignam reſolutionem non amplius admittit, pus coquit, & ſuppurare dicitur, vel vero feliciori facta inflammatione gangræneſcit, vel in ſcirrhum abit irreſolubilem. Suppurationem hæ puſtulæ varioloſæ, ſeu furunculi hi, ſi benigne cum ægro agatur, ſolam admittunt; at vero, ubi mala illarum indoles eſt, bonæ ſuppurationis loco gangræneſcunt.

Poſtquam ultimæ variolæ artuum inferiorum eruperunt, primæ faciei nempe jam aliquem maturitatis gradum habent. Hinc ſtadium novum incipit, videlicet *ſtadium maturationis*, ſeu *febris maturatoria.*

Hoc ſtadio puſtulæ majores evadunt, pleniores, nonnunquam flavæ; attamen limbo rubente ſemper ambiuntur. Quo grandiores elatioresque, quo molliores, quo magis

gis abs ſe invicem diſtantes, quo rotundiores, quo inter ſe ſimiliores, eo melioris ſunt indolis.

Senſim ſine ſenſu limbus variolarum ruber amplior fit, ita, ut in confertioribus variolis omne interſtitium rubeat, doleat, tumeatque cum quodam ſplendore; id eſt interſtitia inflammantur. Hæc cutis conditio nunc deſcripta tunc obtinet, ubi varioloſæ puſtulæ ſummum maturitatis gradum attigerunt. Hinc hæc cutis inflammatio primo in facie obſervatur, quia ibidem omnium primo variolæ matureſcunt.

Eodem dein ordine, quo puſtulæ prorumpunt, eodem etiam maturæ evadunt, eodem denique ordine interſtitia inflammantur, & tument. Hinc eſt, cur detumeſcente facie collum tumere incipiet, dein brachia manusque, denuo multo ſerius artus inferiores.

Tempore hujus ſtadii nova febris inſurgit, ita, ut octavo die in regularibus ea maxime exardeſcat. Hæc febris non diſſimilis eſt ab illa febre, quam furunculis compluribus exortis, inſigniterque dolentibus, aut loco quodam alicubi inflammato, atque in ſuppurationem abituro obſervamus. Indolis eſt inflammatoriæ. Cruſtam ſanguis forte miſ-

miſſus, phlogiſticam habet. Periculoſa admodum eſt in confertioribus variolis; periculoſiſſima in malignis.

Febrim hanc, quam febrim ſecundariam variolarum apellant, in morbo benigno metitur numerus, qualitas vero periculum.

Cauſam hujus febris hanc allegant, perſpirabile retentum ob cutis ſuperficiem, aut puſtulis obſeſſam, aut inflammatam, atque imperſpirabilem; ſecundo, pus puſtularum reſorptum aut adhuc ſanguinem oberrans. Verum hæ duæ cauſæ neutiquam efficiunt hanc febrim ſecundariam; oritur enim cute nondum, aut nondum valdopere inflammata; & præterea pus necdum paratum, ſed primum incipit parari & coqui. Hinc non explicanda febris hujus cauſa eſt, ſufficitque noſſe, eſſe eam ipſam febrim, quæ tumores inflammatos benigne non reſolvendos ad ſuppurationem perducit, atque inflammatam quandam plagam convertit in abſceſſum.

Symptomata hujus febris quædam communia ſunt cum omni alia inflammatoria febre, quædam vero particularia. Ad communia pertinent pulſuum acceleratio, ſitis, anxietas, noctes inſomnes. Ad peculiaria vero affectiones encephali. Delirium primo ab

ab ipſa febre, ſecundo ab irritatione & inflammatione *totius faciei*; hinc humores omnes impetuoſe ad encephalon ruunt, ac ſi ſinapismum ad totum caput & faciem adplicuiſſemus. Veſicantis aut rubefacientis irritantisque remedii vices obibunt puſtulæ faciei confertæ, & inflammatio totius cutis. Hinc monſtroſus tumor, & quaſi faciei emphyſema; male ergo credebatur olim ſub cute inflata materiem varioloſam purulentam latitare. Hinc ſtatus quorundam ſoporoſus, convulſiones, mortes apoplecticæ. Convulſiones ſub ſecundaria febre ſemper periculoſiſſimæ ſunt. Hinc oculi clauſi tumentibus palpebris, hinc ophthalmiæ. Inde ptyalismus, partim ob hunc generalem humorum affluxum ad caput, partim vero ob puſtulas faucium, quæ continuo irritant, ſalivamque, uti acre maſticatorium ſolet, eliciunt. Salivatio excoriat ſubinde linguam faucesque, ſubinde minatur ſuffocationem, noctu maxime, ſomnum omnem arcet. Salivatio maxime adultos vexat, rarius in benignis, frequentiſſime in malignis. Cum vero infantes ſalivam deglutiant, cum in infantibus, utpote irritabilioribus, non ſolæ faucium, ſed & œſophagi atque ventriculi, quin etiam inteſtinorum glandulæ ſollicitentur, hinc ha-

 betur

betur ratio, quare in infantibus crebrior hoc tempore ſit *alvus diarrhœica*, quam ſalivatio. Interim utroque ſymptomate carent, qui perpaucas atque mitiſſimas variolas experiuntur. Inde etiam angina, & tumor tonſillarum.

Nonnunquam, graviori videlicet morbo, topicæ adhuc inflammationes obſervantur. Primo encephali; ſecundo, oculorum vera inflammatio a puſtulis, ab acri collyrio, a violenta palpebrarum, & crebra distractione; faucium, maxime aſperæ arteriæ, ſeu *angina bronchialis*, ubi vox ſtridula, dolor, fervens reſpiratio, & ſæpe ſubita ſuffocatio, ubi membrana præternaturalis a transſudante ſero oritur. Pleuritis & peripneumonia ſæpe jungitur, ex eaque ægri multi pereunt. Maxime reſpici reſpiratio debet in hac febre.

Expoſita hucusque febris maturatoriæ natura, ſi res ex ordine & mite procedat, expoſitis etiam ſymptomatibus gravioribus, eorumque cauſis; non poſſum hic præterire ſponte oblatam occaſionem, quædam de febre ſuppuratoria variolarum malignarum diſſerendi. Evenit enim non raro, ut hæc febris cum febre putrida malignaque conſpicia-

ciatur, aut in eandem convertatur. En jam rationes hujus metamorphoſeos:

1) Subinde variolæ occupant *bene paſtos*, ita, ut, quod ventriculus continet, non amplius digeratur; id in putridas abibit ſordes ſucceſſu temporis, & ocyus ſerius febrim putridam efficiet; hinc tanta evacuationum alvinarum utilitas, tantum vomitionum emolumentum in principio variolarum.

2) Nonnunquam variolæ hominem corripiunt putrida ſaburra jam antea laborantem, ſed quæ absque variolis fuiſſet innoxia, & ventriculi viribus, aut alio modo fortunate ſubacta, nunc vero, homine ex variolis debilitato, eadem ſaburra in actum deducitur, febrimque efficit ſaburralem, quæ conjuncta cum febre varioloſa ſecundaria, hanc eandem exlegem reddit, inque putridiſſimam, malignamque convertit. Hinc ratio habetur, quare ea tempeſtate, qua pernicioſæ febres graſſantur климат bilioſæ, putridæ, malignæque, variolæ quoque ſint valdopere periculoſæ, non ſolum ob propriam indolem, ſed ob pravam cum morbo epidemico ſocietatem.

3) Multa quoque vitia alia ſunt, quæ hanc ſecundariam febrem efficiunt diſcrimine plenam; ſcilicet humores acres aliunde;

cutis denſata & imperſpirabilis; nerveum ſyſtema ſummopere irritabile; diſpoſitio bilioſa, pituitoſa, verminoſa, ſucci venerea, aut ſcorbutica labe contaminati. Exanthemata varia, ſcabioſa; graviditas, puerperium, abortus, primi menſes, & menſtruatio omnis, chloroſis & leucophlegmatia, cacochymia fere quæcunque; dentitio. Omnia hæc vitia febrem maturatoriam a recto ſuo tramite abducunt.

Hinc eſt, quare hoc tempore, præter ſuperius allata ſymptomata multa quoque alia obſervantur, quorum catalogum nunc dabo. 1) Sæpe variolis junguntur exanthemata alia, petechiæ, miliaria, eryſipelas pravum; non ut cauſa mala ſunt, ſed ut ſignum, febris ſcilicet complicatæ. 2) Gangræna non variolarum modo, ſed aliarum quoque corporis plagarum. 3) Hæmoptoë, hæmorrhagia narium, inteſtinorum, veſicæ ac renum, uteri. Mictum cruentum maxime damnaverunt. Excretiones hæ, ſi in hominibus non plethoricis eveniunt, ſanguinem indicant diſſolutum, ſuntque ominis omnino lævi. 4) Diarrhæa *putrida*, & vires convellens; diſtingui hæc debet ab illa diarrhæa *levante*, infantum præcipue. 5) Depoſitiones eveniunt ſub finem febris ſecundariæ, pure jam cocto.

coℓto. Pus nempe reſorptum & ſanguinem oberrans ad varias partes ſubinde deponitur, prout illas ad idoneas reperit. Hinc parotides, bubones, glandularum ſubmaxillarium tumores; pus ad caput, thoracem depoſitum.

Subinde aut perverſa medicatione, aut peculiari conſtitutionis genio, variolæ ſuborto vix maturationis ſtadio, in lethalem gangræneſcentiam tendunt. Tales erant confluentes illæ variolæ, anni 1670, de quibus *Sydenhamus* ſequentia refert: „Confluentes vero ab aliis, quas per alios annos ego obſervaveram, confluentibus, in multis, quæ jam recenſebo, diſcrepabant. Nunc ſecundo, nunc tertio die ſe primum monſtrabant, ſpecie tumoris ſubrubri, atque uniformis, vultum omnem contegentis, eryſipelate quidem denſioris, nullo fere viſibili puſtularum diſcrimine; reliquum corpus congeries quædam (ceu panni latiores) ex infinitis propemodum puſtulis rubris efferatis in unam conflatæ variegabant, inter quas ſparſæ, in femoribus præcipue veſiculæ quædam ſatis conſpicuæ, ambuſtarum adinſtar, ſero limpidiore diſtentæ eminebant; quod quidem disrupta ſubinde pellicula, copioſe effluebat, ſubjecta carne, nigredine & ſphacelo quaſi

X 3 ad-

adfecta. Rarius autem occurrebat hoc tam dirum ſymptoma, idque primo tantum menſe, quo hæc ſpecies regnabat. Quo tempore inter alios ita male multatos, ineunte Januario accerſeri me curavit vir probus, nomine *Collins*, cujus filius adhuc infans veſiculas habuit in femoribus juglandem nucem exæquantes, ſero limpidiore repletas; quibus disruptis, ſubſtrata caro quaſi mortificata omnino comparebat, atque non ita diu poſt æger fatis conceſſit; quæ & eorum omnium ſors fuit, quos hoc tam funeſto ſymptomate correptos vidi unquam. Die undecimo circiter pellicula alba reſplendens, tumori ſubrubro, variis faciei partibus, & paulatim vultui omni, obducta eſt. Pellicula hæc alba brevi poſt materiam quamdam cruſtoſam, ſplendeſcentem eructabat, colore quidem neque flavo, neque fuſco (qui duo in aliis variolarum ſpeciebus reperiuntur), ſed rubro, ſaturato, concretum ſanguinem imitante; qui matureſcente puſtula, ad nigrorem in dies magis accedebat, donec tandem facies integra nigredine, fuliginis omnino æmula, tingeretur. Cumque in alia variolarum confluentium ſpecie, dies undecimus in maximum vitæ diſcrimen ægros adduceret, & pleriſque emorientium ſupre-

mus

mus eſſet; in hac ſpecie æger, niſi regimine immoderate calido oppreſſus, mortis refrigerium maturius præoccupaſſet, decimum quartum utplurimum diem exſpectabat, quo demum elapſo res ſalva erat. Notandum eſt tamen, quod, qui lethalibus iſtis veſiculis ac mortificatione, quæ nonnullis primo menſe, quo hæc ſpecies invadebat, accidiſſe memoravimus, Libitinæ deſtinabantur, intra paucos dies ab eruptione interibant.

Et febris, ſymptomata alia omnia, quæ vel præcedebant, vel comitabantur hoc variolarum genus, graviora erant, quam in præcedente, & inflammationis adhuc majoris manifeſta dabant indicia. Ægri ad ſalivationem erant procliviores; puſtulæ & efferationes, & longe mole minores: ita, ut non facile, ubi primum adparebant, ab eryſipelate quis discreverit, vel etiam a morbillis; niſi quod hi ex die eruptionis, & aliis ſignis in hiſtoria morborum ſupra recenſitis, certo innoteſcant. Puſtulis decidentibus furfures diutius hærebant, fœdioraque ſtigmata inurebant cuti.

Operæ pretium eſt illud adjungere, quod durante hac omni conſtitutione, qua tam epidemicæ ſæviebant dyſenteriæ, variolæ regimine juſto calidiore provocatæ, per

dyſenteriam nonnunquam viam ſibi facerent, quod ne ſemel accidiſſe hactenus animadverteram.

a) Sydenham. variolæ annomalæ. 1670, 71, 72.

Ex his variæ intelliguntur puſtularum diviſiones, earumque ad diagnoſin aut prognoſin morbi varioloſi relationem. Dividuntur enim:

1) *Ratione ſitus: diſcretæ*: iis proprium eſt habere limbum rubrum circumcirca; plerumque benignæ ſunt, rarius vero malignæ. *Cohærentes* etiam vocantur *corymboſæ*, & botrum, ſeu granorum congeriem præſeferunt. *Confluentes* membranæ pergamenæ inſtar faciem tegunt, atque unam albam veſicam faciunt; quædam benignæ ſunt, plerumque autem *malignæ*, adeo malæ a *Sydenhamo* notatæ. Prædicata hisce competentia ſunt.

a) Tempus eruptionis vel citius, ſcilicet tertio die, vel ſerius, quarto die eveniens.

b) Modus eruptionis, quæ non, ut in diſcretis, ſenſim procedit, ſed quaſi una vice, & magno numero apparet.

c) Figura eruptionis, quæ mox efflореſcentiam eryſipelatoſam refert, dein ad uni-

unicam pelliculam, quæ faciem obducit, rubri coloris confluit, poſt octavam diem aſpera fuſca redditur, nec ante diem 16. vel 20. exſiccatur a).

a) Cel. Bang Praxis medica. p. 97.

2) A figura: *depreſſæ* in medio ſubſident, complanatæ ſunt, punctum obſcurum, plumbeum, lividum, nigrum in medio habent. *Verrucoſæ* deprehenduntur in imbecillis, exhauſtisque; verrucoſæ tarde proveniunt, cum pulſu debili, tenuiterque micante, cum delirio miti, taciturno, & vera debilitate; numero paucæ ſunt, exiguæ, & inanes veſiculas referunt; tandem, ni res in melius vertatur, hæ veſiculæ inanes corrugantur, exſiccantur in modum verrucæ; rebus vero melioribus effectis, grandeſcunt, & replentur. Admodum lethales ſunt.

3) A liquore contento *ichoroſæ; cryſtallinæ*, ſeu *lymphaticæ*, acerrimam lympham continent, & erodentem. *Sanguineæ* plerumque talia ſibi juncta ſymptomata habent, alvum cruentam, mictum cruentum &c.; ſemper lethales.

4) A colore; *plumbeæ*, *nigræ* omnium peſſimæ, gangrænæ prænuntiæ & comites.

 5) Re-

5) Ratione commiſtionis cum aliis morbis exanthematicis in *ſimplices*, & *complicatas* cum miliaribus, petechiis &c.

Nonnunquam plures variolarum ſpecies in uno homine obſervantur.

Cura in hoc morbi varioloſi ſtadio ad id debet dirigi, ut aut nulla, aut minima, a capite maxime remota, atque tarda ſuppuratio contingat. Cum autem prima indicatio obtineri ex toto nequeat, de altera indicatione nos ſumme ſollicitos eſſe oportet. Id autem fit,

1) Victus ratione, qui talis eſſe debet, quem ſupra præſcripſimus, putredini ſcilicet adverſus.

2) Potus quoque acidulus ſit, diluensque.

3) Omnia hæc ad eundem ſcopum collimant cum illis, quæ in præcedentibus numeris habentur. Magna autem copia talia remedia, ſed copioſa aqua diluta, ingeruntur aſſiduo, ut omnes humores diluantur, vaſa pervia maneant, acrioribusque humorum partibus per cutis & urinæ vias eliminandis ſuppeditetur idoneum vehiculum.

4) Frigidiuſculi etiam & puri aëris admiſſio ut ad reſolutionem puſtularum benignam plurimum confert, ita adverſus nimiam ſuppurationem potentiſſimum remedium eſt.

Sed

Sed uti aër frigidiuſculus & purus in principio tantum prodeſt, ita quoque per priora auxilia in initio duntaxat varioloſo morbo apte occurritur.

5) Si enim major ſit inflammationis gradus, nimiusque cutis ardor & tenſio, atque denſum agmen variolarum faciem obſideat, actu frigida nocent, extremitates inferiores fomentis emollientibus fovere oportet.

6) Urgente autem inflammatione methodus generoſa antiphlogiſtica adhibenda eſt. Hæc indicatur:

a) Ubi febris cæteroquin boni moris, & ſimplex eſt, nullo bilioſo aut putrido vitio nutrita, attamen gravior, pulſu elatiori, citiorique, ibi vim vitæ hac methodo reſtinguere oportebit.

b) Ubi in homine adulto, variolis bonis cæteroquin, præſente habitu pleniori, adhibitis per prima morbi ſtadia calidioribus remediis febris intenditur.

c) Ubi *vera* aut peripneumonia, aut pleuritis ex cauſis modo dictis, aut alius viſceris inflammatio ſupervenit.

d) In variolis hyemalibus potius, vernisque, quam æſtivis.

e) In depoſitionibus quibusdam ad caput, pectus factis, ubi ea depoſitio ob vim

vitæ

vitæ nimis incitatum, & humorum orgasmum.

Neceſſitatem venæ ſectionis in curandis variolis & priſci Medici jam agnoverunt. „Atqui *Arabes*, ait *Freindius* a), qui de hoc morbo primi præcepta tradiderunt, hanc venæ incidendæ viam, etiam poſt egreſſas variolas, ubi humores redundaverint, aut ipſi ſecuti eſſe, aut ſaltem, ut ſequerentur alii, authores fuiſſe videntur. Itaque medici, qui deinde per quingentos circiter annos nihil fere agitabant, niſi quod acceperant, id unice curantes, ut hæç Arabum monumenta fideliter exſcriberent, easdem regulas poſuere; ita tamen poſuere, ut, quod præceperant, vix in uſum eos traxiſſe appareat. Tandem medio fere ſæculi decimi ſexti *Gometius Pereira* b) Methymnæus, quem ſæpe a trita via haud perperam declinaſſe comperio, primus, uti reor, Arabes, quaſi in hac re nimium cautos arguit, diſerteque pronuntiat, ſi vel adſit inflammatio, vel plenitudo, etiam proruptis variolis; ſanguinem ſidenter eſſe mittendum: omiſſa porro hac medendi via pueros jam plurimos, aut ſanguinis ex naribus profluvio, aut ulceribus periiſſe. Hoc quidem experientia ſæpiſſimè comprobatum: id vero adjeciſſe pote-

poterat, ſanguinem hoc morbi tempore ex naribus, quod & *Rhazes* innuit, aut ex uterinis viis fluentem, permultis ſaluti fuiſſe: manifeſto ſatis indicio, quod hoc auxilii genus natura aliquando deſideret. Eandem curandi viam inſtiterunt, ſi quando variolis jam egreſſis, malus aliquis effectus intervenerit, Medici apud Gallos, eadem tempeſtate celeberrimi, *Hallerius*, *Paræus*, *Botallus;* quorum ultimus quidem hoc venæ ſecandæ conſilium, relictum jam diu, & pene oblivione obſoletum, magna cum ſua laude revocavit, & ad morbos quam plurimos haud infeliciter applicuit. At idem circa tempus chymicorum fabulæ hominum animos falſis erroribus implerunt, & quaſi faſcinatione quadam tenuerunt, duce potiſſimum *Paracelſo*, præſtigiatorum veſaniſſimo, iique, qui arcanis omnia geri volunt, ita humana imbecillitate ſive uſi, ſive abuſi ſunt, contraque ſanguinis miſſionem ita debacchati, ut medici, qui ratione & judicio valerent, non auſi ſint, etiam in maximo vitæ periculo, venam ſecare; qui tamen, ne nihil ex arte facere, ægrotisque prorſus deeſſe viderentur, non deſtiterunt, vel hirudines admovere, vel cucurbitularum ope humorum copiam minuere. Neque infrequens

ea ſane medentium infelicitas, quibus vel parum conſtantiæ vel authoritatis ſit, ut aliorum voluntati potius obſequi, quam ſuo ſtare judicio malint. Verum initio fere ſæculi decimi ſeptimi his chymicorum præſtigiis minus valentibus, plurimi *Geometium* vel fortuito ſecuti, vel de induſtria imitati, hanc ſanguinis mittendi rationem tenuerunt. Diſertiſſime vero omnium de hac ſanguinis detractione locutus eſt *Epiphanius Ferdinandus* c), qui, cum regulas haud male poſuiſſe videtur, verba ipſa non pigebit deſcribere: „Nos autem clarius hanc de venæ ſectione doctrinam illuſtrabimus: quoties enim eſt urgentiæ ſcopus, omni tempore eſt mittendus ſanguis, dummodo adſint indicantia: nam 1) cum apparent variolæ & morbilli, & febris non ceſſat, neque alia ſymptomata gravia, tunc licet mittere ſanguinem; 2) cum apparuerunt per unum diem, deinde deliteſcunt, tunc ſtatim mittendus ſanguis; 3) quando ſunt alia gravia ſymptomata, præter ſymptomata variolarum, ut angina, obſtinata phrenitis, lethargus, dyſenteria, gravis ophthalmia, vel quivis alius periculoſus & gravis affectus; & ſic *Rhazes* mittit ſanguinem in variolis & morbillis, ubi adeſt dyſenteria.“ Itaque in difficili ſpiratione,

tione, aut ubi in variolarum maturatione inflammatio ingruat ſumma, aut tumor eryſipelatodes caput occupet, venas vel ſub lingua, vel ſub auribus aperire jubet *Mayernius* d), qua quidem via ſanguine ad uncias xx. effuſo, vir acerrimi judicii Comitiſſam Betfordiæ jam moribundam periculo eripuit. Neque alia fuit curationis ratio, quam his in caſibus maxime ſecutus eſſe videtur clinicorum haud infimus *Riverius* e), qui, cum ægros ut febre continua putrida laborantes tractandos eſſe cenſeat, venam ſemel ſecaſſe parum contentus, eam iterum aliquando aperiri jubet, ut detracta portione oneris, reliquum a natura facilius expellatur. Quin & recenti memoria, iisdemque prope temporibus, tres trium maximarum gentium Hiſpaniæ f), Galliæ g), atque Britanniæ h) reges, vena iterum ſecta, ex hoc difficili variolarum morbo evaſerunt. Ita non modo in his regionibus, ſed in Italia, & ad Hyperboreos usque invaluit hæc venæ ſecandæ conſuetudo, ſi quando, variolis licet prodeuntibus, malum adhuc ingraveſceret.

Ex his patet, quantum noceat methodus calefaciens; febris enim inde incenditur, & inflammationis in gangrænam tranſitus acceleratur. Neque immerito *Freindius*

dius damnat methodum *Mortoni*, qui omnis in eo verſabatur, ut miaſma e corpore expellat. „Ut libere loquamur, ait *Freindius*, noſti in illo ſcriptore, quanquam de variolis ſatis multa non ſine labore aliquo corraſerit, haud raro deſiderari & ordinem, & perſpicuitatem & judicium; quippe qui ſæpe, utcunque prolixus, nihil doceat; ſæpius præcepta obtrudat vel futilia, vel etiam vitioſa: totam vero medendi rationem ad hypotheſin iſtam, de ſpirituum neſcio quo miasmate, a ſemetipſo confectam fere ſemper detorqueat i).

a) Freind. Epiſt. de purgantibus.
b) Pereira nova medicina. p. 904.
c) Epiphanius Ferdinandus. Caſus med. 78.
d) Mayerinus Prax. med. p. 449.
e) Riverius L. 17. C. 2.
f) Carolus II.
g) Ludovicus XIV.
h) Carolus II.
i) Freind. Epiſt. de purgantibus.

7) Sed maximi momenti res eſt, ad conſtitutionem epidemicam tunc regnantem advertere. Hinc canon *Stollii* in hac febre. Febrim maturatoriam hujus ſtadii ea ratione curare, qua eandem febrim cujuscunque alterius inflammati, & proxime ſuppurandi tume-

tumoris ſocium curamus, ſed maxime vim epidemiæ, quam ſollicitiſſime prohibere a).

a) Stoll. rat. med. Tom. II. p. 232.

Stadium ſuppurationis.

Quintum nunc ſtadium ſequitur, quo puſtularum ſuppuratio increſcit, & perficitur.

Primum ſignum ſuppurantium variolarum obſervatur in apice variolarum, qui albeſcere incipit, dum baſis, & pars cutis vicinæ adhuc rubent. Hæc albedo per reliquam puſtularum molem brevi diffunditur, ita ut totæ albeſcant, turgidæ, margaritarum inſtar. Intra viginti quatuor horas illa albedo ſuppuratarum variolarum mutari incipit in colorem flaveſcentem, tuncque rubedo cutis vicinæ incipit minui multum; flavedo illa in fuſcum colorem magis vergit ſenſim, donec penitus fuſcæ fuerint variolæ; tunc exſiccatæ brevi ſicceſcunt in facie, absque eo, quod crepent puſtulæ, niſi forte fricando disrumpantur. In manubus autem rumpuntur plerumque, antequam exſiccentur, & idem in artubus inferioribus contingere ſolet.

Sed in confluentibus variolis tota facies numeroſiſſimis & minutis papulis tegitur; hinc, dum incipiunt ſuppurari, tota facies apparet alba pellicula tecta, & albedo hæc citius apparet, quam in diſcretis, brevique in fuſcum colorem mutatur, ultimo nigreſcit ſæpe, & exſiccata, laminarum inſtar dehiſcens decidit. In peſſimis autem confluentibus quandoque loco purulentæ materiæ gangrænoſus ichor colligitur, & tunc fuſco ac ſubnigro colore perfunditur facies, absque albedine prægreſſa.

Febris hæc ſuppuratoria a perſpirabili acri retento, & pure varioloſo in maſſam ſanguinis reſorpto. Hinc plurima mala metuenda ſunt, ubi numeroſæ admodum ſunt variolæ diſcretæ, vel ubi confluentes totam fere corporis ſuperficiem occupant. Ab acri hoc pure reſorpto pereunt toties variolis confluentibus laborantes vigeſimo quarto morbi die, aut adhuc ſerius, corruptis omnibus totius corporis humoribus, & ſæpe mutilatis variis partibus corporis ante mortem, prout in has illasve dira metaſtaſi acris hæc materia deponitur. Ambos oculos deſtructos vidit *Swietenius* intra paucas horas, naſum ſubito eroſum, & alia diriſſima mala, antequam mors tantis miſeriis finem imponeret.

fieret. Felicior quidem puris varioloſi reſorpti metaſtaſis fit verſus exteriorem corporis ſuperficiem, aut artus, ſed tamen & tunc miſeri moleſtiſſimis ſæpe malis vitam redimunt.

Indicatio curatoria in hoc ſtadio quadruplex naſcitur: 1mo ut concilietur puri facilis exitus verſus exteriora; 2do ut illud, quod reſorptum jam eſt, expellatur de corpore; 3tio ut degeneratio humorum in putredinem, hic metuenda quam maxime, caveatur; 4to ut febrilis impetus in debito retineatur moderamine.

His indicationibus ſequenti modo ſatisfit:

1) Facies, manus, imo & pedes pannis laneis, vel ſpongiis, decocto emolliente calido madidis, humectandæ. Perpetua enim talis humectatio præcavet cruſtarum duritiem, & emollire valet eandem, ſi jam adſit. Sæpius curavit *Swietenius*, illiniri lactis cremore recenti has cruſtas, deinde decocto emollienti calido foveri, donec penitus emollitæ tabeſcerent quaſi, & ſecederent; viditque cruſtis his ſeparatis copiam puris per cutim jam liberam exiviſſe continuo, & hinc didicit, non tantum pus ſub his cruſtis latens exire, ſed & partem illius, quod re-

ſorptum erat, per eadem hæc loca expelli, cum manifeſto levamine ſymptomatum.

2) Pus illud acre reſorptum per corporis colatoria debet expelli, quod urina & alvo optime perficitur. Hinc neceſſitas purgationum.

Hæc autem methodus in hoc ſtadio utiliſſima habetur, quæ purgantibus utitur, iisque potiſſimum mannatis. Purgantia æque conveniunt in confluentibus ac diſcretis. Propinari debent purgantia hæc in primo febris ſuppuratoriæ impetu, atque ita, ut alvus ter, quater, quinquies ſollicitetur, idque in confluentibus faciendum. In diſcretis vero, ac mitioribus purgandum erit, ſed leniter, atque per epicraſin, utprimum facies *flaveſcere* incipit; etenim tunc primum pus formatum, quod reſorbebitur, atque per alvum blande ſollicitatam evacuabitur. Hæc methodus felicius ſuccedit, quam ſi more conſueto omnium puſtularum exſiccatio exſpectetur. Videamus rationes, quibus inducti Practici purgantibus uti lenioribus in hoc morbi ſtadio cœperunt.

1) Mature inſtituta purgatio præcavet largam illam, & ſubinde moleſtiſſimam ſecundam puſtularum eruptionem, quæ primum tunc

tunc ſequitur, ubi reliquæ variolæ jam exſiccatæ ſunt.

2) Sæpe faucium glandulæ eum materiæ affluxum patiuntur, ut omnem omnino materiæ molem nequeant excipere, exceptamque eliminare. Hinc alvum oportebit ſollicitare, ut vicariam evacuationem inſtituamus. Novimus enim in infantibus naturam ipſam ſalivationi diarrhæam apte ſubſtituere.

3) Ptyaliſmum forte ſuppreſſum cum malis ægri rebus, quem nulla gargariſmata valent revocare, ſupplemus dato purgante.

4) Vix ullus auctor eſt, qui purgantia ſub morbi finem, & poſt eundem non commendarit; multo ergo magis hæc conducent, maturius data, atque tunc, ubi primum pus jam efformatum comparet.

Quæ fuerint methodi purgantis in morbo varioloſo fata, ab Arabibus ad noſtra usque tempora, optime docuit *Freindius*, atque multis etiam obſervationibus confirmavit; atqui de his ipſis obſervationibus recte ſequentia animadvertit auctor: „Hæc tamen nota ſatis atque illuſtria, non ex otioſorum hominum cerebro effuſa, ſed ex ipſa artis magiſtra experientia, eaque multiplici, deducta, non in angulis, non in gurguſtiis, inter nutrices & aniculas clanculum conficta,

ſed in luce atque conſpectu hominum, maximeque intra nobilium parietes, coram teſtibus idoneis geſta atque probata a).

a) Freindii epiſtola de purgantibus.

5) Putredini omni modo oportet reſiſtere, quod potu & medicamentis acidis, *acidis mineralibus* præcipue impetramus.

Hinc methodus quorundam medicorum in ſuppuratoria variolantium febre eſt illorum, qui acidis *vegetabilibus*, ſed maxime *mineralibus* ſepticam humorum diatheſin corrigere nituntur. Acida vegetabilia ab omni ævo in omnibus fere acutis febribus, iisque maxime, quæ in regionibus calidioribus graſſantur, indolis putridæ adhibebantur, non docente quodam artis magiſtro, ſed ipſius almæ naturæ inſtinctu. *Arabibus* quoque medicis plurimum commendabantur, atque etiam ad medium usque ſæculi decimi ſeptimi; ſed id ſimul male evenerat, quod miſſis acidis vegetabilibus, aut ad alexipharmaca, & regimen calidum tranſiverint, vel vero meris fere uſi ſint abſorbentibus, terreis &c., remediis nempe aut perniciofis, aut ſaltem inutilibus. Verumtamen, utut indicatiſſima ſunt vegetabilia acida, tamen domandæ putredini non ſunt paria, ſed a vi ſeptica ſubi-

gun-

guntur, atque enervantur. Hinc recentiores *mineralibus* acidis, iisque non ad guttas, ſed largiter uſi ſunt, & fauſto cum eventu. In morbo varioloſo pus reſorptum, & retentum perſpirabile labem putridam cæteris humoribus communicat; hanc potentiſſime hæc antiſeptica corrigunt, invertunt, aut vero illud ad alvum ablegant, aut cum urinis e veſica eliminant. In variolis ſanguinolentis, in hæmorrhagiis narium pernicioſis, in mictu cruento, in æſtu nimio, ſiti nimia, delirio furioſo, in orgasmo putrido humorum utiliter adhibentur. Salivatio moderatior eſt ſub uſu acidorum, at facilior, ſed urinæ copioſiores.

Spiritus vitrioli uſum in variolis confluentibus ſummis laudibus extollit *Sydenhamus*: „Utut feliciter mihi ceſſerit hæc methodus, uti prius docui, in variolis aliis *confluentibus*, in iſtis tamen hujusce conſtitutionis (anno 1674 & 75) illa me fefellit; ita ut eorum plerique, qui vehementius laborabant, interirent, ſive methodo jam a me laudata, ſive regimine, & cardiacis calidioribus uterentur. Omnino itaque intellexi, deſiderari adhuc aliquid præter iſta, quæ vel ad compeſcendam ſangninis ebullitionem, vel ad puſtularum elevationem;

 manu-

manuumque atque faciei intumeſcentiam facerent; deſiderari ſcilicet aliquid, quod putrefactioni magis intenſæ, quam in his variolis præ cæteris quibuscunque obſervaram, vincendæ par eſſet. In mentem mihi tandem venit, *vitrioli ſpiritus*, quem exiſtimabam utrique intentioni, tum putredinis oppugnandæ, tum perdomandæ caloris ferociæ, ſatisfacere poſſe. Quam ob rem ægro ſibi relicto, donec & dolor, & vomituritio, quæ eruptionem præcedere ſolent, jam deſinerent, & variolæ conferto agmine prodirent omnes, tandem die quinto ſextove dictum ſpiritum cereviſiæ tenui ad levem aciditatem inſtillatum, pro potu ordinario conceſſi ad libitum ſumendum, liberalius vero, cum adpeteret *febris maturatoria*; quem potum, donec perfecte convaleſceret; imperavi.

Hic ſpiritus, ceu morbo revera ſpecificus, ſymptomata omnia ad miraculum fere compeſcebat. Variolarum interſtitia, ad colorem magis rubrum, & roſæ damaſcenæ æmulum magis accedebant, ſaltem quantum ea ſpecies pateretur. Puſtulæ etiam, quæ aliter nigræ comparuiſſent, hic materiem quandam flavam, & colore favum referentem eructabant. Facies deinceps, pro nigra,

gra, colore flavo ſaturato, ubique tincta conſpiciebatur. Celerius matureſcebant, atque tempora alia omnia diei unius aut alterius ſpatio, citius percurrebant. Hæc autem accidebant omnia, ſi liquorem nempe laudatum liberalius haurirent. Quapropter, quoties ægrum copiam ſubjugandis ſymptomatis debitam reſpuere animadverterem, ſpiritum iſtum, vel ſyrupo aliquo in cochleari permiſtum, vel aquæ deſtillatæ cum ſyrupo junctæ additum, ſubinde ingeſſi, quo penſaretur ſcilicet liquoris parcior uſus."

a) Sydenham. Variol. anomal. An. 1674—75.

Diſpiciendum nunc eſt, quo modo, & qua doſi propinari acida mineralia poſſint. Illuſtris *Tiſſotus* ſub finem anni 1754 in febre ſecundaria intra bihorium dedit drachmas duas cum unciis duabus ſyrupi variolarum; alia vice dedit drachmas tres intra quatuor horas. Quondam intra 40 horas propinaverat uncias ij. ſpiritus ſulphuris cum ſyrupo violarum & multa aqua. Acida hæc aut dilui largis aquæ doſibus debent, aut ſyrupo quodam conveniente obvolvi, quo facilius aſſumi queant. Ludunt cum graviſſimo morbo, qui *paucas ſolum guttas* præſcribunt.

6) Aperiantur puſtulæ *forſice* ſæpius, ut puris reſorptio impediatur; alias enim id contingit, quod evenire videmus abſceſſu alicubi formato, & clauſo.

7) Cum ſi numeroſæ adſint variolæ, os internum fauceſque his partibus obſideantur, ablutiones & gargariſmi oris & faucium, ex emollienti decocto paratæ, egregie proſunt, ut cito maturentur in his locis, & cadant; imo & naribus ſimilia attrahere, vel ſaltem vapore aquæ calidæ humectare ſiccam, & tumentem narium internam ſuperficiem, egregie conducet.

8) Præter hucusque dicta remedia oportet etiam convenientem ægro victum præſcribere. Diæta potiſſimum liquida ſit, ex fructibus aquoſis, aceſcentibus; fragis, ribeſiis, groſſulariis, ceraſis dulcibus atque acidis, uvis etiam; ſero lactis; lacte ebutyrato &c. &c.

9) Omnis autem in hoc ſtadio curatio in moderatione febris fere conſiſtit. „Purulentam hanc febrim, ait *Stollius*, non differre arbitramur ab alia, quam quiscunque purulentus fomes intra humores circumeuntes ſuſceptus accendit, ſi pars quædam corporis pus habet.

Id

Id egimus iſto morbi curriculo ultimo, ut omnes illæ viæ expediantur, quibus pus efferri extra corpus ſolet, maxime venter & renes. Ad utrumque enim hoc colon vis vitæ conſervatrix alienam materiam tuto ablegat. Sed & omnes, quantum licuit, abſceſſulos, forfice perſcidimus. At ſi labaſcere vires, ſi pus formari nimium, ac tabeſcere inde æger inceperat, corroborantibus uſi ſumus, iisque omnino remediis, quæ quocunque alio in caſu tabificas febres a purè natas coercent.

Sub finem præcedentis & per decurſum hujus ſtadii purgantibus ſalinis, & mannatis alvum ſollicitavi, movique urinas potu multo, emolliente, acidiuſculo, leviter frigeſcente. Hinc malvam, & althæam, & multam liquiritiæ radicem decoximus, & frigefacto decocto vitrioli ſpiritum miſcuimus.

Tempeſtiva hac purgatione id etiam ſum conſecutus, ut facies *tumeret minus*, & *ſalivatio parcior eſſet.*

Utrumque hoc ſymptoma, faciei tumorem videlicet, & ptyalismum ſoli partium ſuperiorum irritationi deberi exiſtimabam, quæ illuc plus humorum alliceret. At noveram, quantum periculi a tumidiſſima facie creari oculis ſoleat, noveram & incom-

moda

moda ptyalismi. In meo varioloſo (hiſtoria ſupra enarrata), meam ipſe legem hac vice non ſum ad amuſſim executus, quod æquo ſerius purgaram, & juſto mitius. Hinc & facies tumuit, utut non plurimum, & largior ſalivatio vexavit.

Faciei tumor & ſalivæ profluvium nil critici habere mihi viſa fuerunt, aut criſin difficilem, & incommoda perquam multa. Hinc urinis & alvo mota revellere humores a facie ſtudui, & ptyalismo vicariam evacuationem ſubſtitui.

Lætus recordor, me fœminæ cuidam in hoc tertio ſtadio, cum facie immanem in molem grandeſcente deliraret, emeto-catharſi mentem illico reſtituiſſe.

Doleo, me nil ſtatuere, aut pauca ſolummodo in cura variolarum poſſe, quæ & *ubique* & *ſemper* obtineant. Sufficiat adcuratas & ſtadiorum, & febrium variarum, & variæ earundem commiſtionis notiones dediſſe, unde, ſi occaſio tulerit, capi conſilium poſſit, quidve in ſingulo morbi ſtadio, variisque ejusdem circumſtantiis facto opus ſit, pervideri.

Non laudo illorum opinionem, qui variolis ab ordinario curſu recedentibus, & anomalis factis, phlebotomias, veſicantia,

cor-

corticem peruvianum, & opium per omnia morbi curricula ſuadent, quadrata videlicet rotundis miſta; quive, cum omnibus hisce, & eodem tempore, & eodem in homine uſi fuerint, egregiam ſe feciſſe *antiphlogiſticam* curam arbitrantur, quin aut diverſa ſtadia, aut febres illarum varias, & variam anni conſtitutionem reſpexerint a)."

a) Stoll. rat. med. Tom. II. p. 233.

10) Opium *Boërhaavius* in hac febre ſuppuratoria ad frœnandos nervorum impetus ſolummodo adhibendum ſuadet. Sunt autem nonnulli medicorum, qui toto morbi, & præcipue hujusce febris decurſu, narcoticis pugnant. Ea in re *Sydenhamum* hujus praxeos encomiaſten adducunt. Verumtamen multis egregius cæteroquin *Sydenhamus*, nimius fuiſſe videbatur adhibendo ſuo laudano ſtante hac febre. Nihilominus cum obſervationes exſtent præſtantiſſimorum effectuum ab uſu opii, cum hæc praxis a quibusdam multis laudibus celebretur, juvabit disquirere, quid veri ſubſit; an opium, & quando ſacra anchora ſalutari mereatur?

Oculata obſervatio docet, opium accelerare humorum motum, & eosdem rarefacere. Hinc 1) non convenit, ubi febris nimia

mia eſt, pulſuque elatiore ſe prodit, non conveniet ibi, ubi venæ ſectionibus vis vitæ ad juſtum moderamen reducenda eſt; ſaltem non conveniet *per ſe.*

2) Opium humores verſus encephalon urget, temulentos, cephalalgicos, vertiginoſos, ſoporoſos, apoplecticos reddit copioſius datum. Mors ſecuta eſt apoplectica, apoplexia nempe ſanguinea calidaque. Exſtant infantum theriaca occiſorum exempla; item exemplum nobilis cujusdam opio ſeſe interficientis. Non ergo conducet opium *per ſe* in ſecundaria hac febre, ubi mala encephali, deliria, ſopores, apoplexiæve metuuntur a nimio humorum raptu ad caput; hos enim pernicioſos effectss, quos ab irritantibus faciei & faucium variolis, ab interſtitiis variolarum inflammatis provenire ſupra narrabamus, hos propinatum opium, ſummum inebrians & vinoſum fideliter augebit.

3) Opium eſt potentiſſimum & calidiſſimum ſudoriferum, cur ergo ii, qui quam maxime contra regimen calidum, & plerumque merito declamant, opium laudant, remediorum calidorum calidiſſimum?

4) Opium ſumptum pleriſque pruritum cutis moleſtum efficit, acre, acerrimum eſt;

an

an ergo conducere poteſt in acrimonia humorum varioloſa?

5) Opium varioloſis etiam qua ſomniferum nocet. Mira, ſed certa eſt obſervatio, ſomnos ægrorum in continuis quibuscunque adhucdum in ſuo vigore conſtitutis, adeo non reficere, ut inter dormiendum, & poſt ſomnum ægri magis langueant, pulſus exhibeant citatiores, linguas aridiores, ſordidioresque. Id in noſtris ægris mane aliquoties in viſitatione videmus. Hinc etiam eſt tanta utilitas, febricitantes aſſiduo *ſomniculoſos* lecto eximere, illisque ſomnum, quo febrim aſſiduo alunt, itentidem excutere. Sed præcipue ſomnus ab opio inductus languorem ingentem relinquit, ſoporem depravatum &c.

6) Opium *ſalivationem* in variolis proficuam cohibet. Hanc vero excretionem plerique *criticam*, quidam non equidem ſtricte *criticam*, *utilem* tamen aſſerunt. Salivatione materies vix videtur efferri extra corpus, quemadmodum tamen communis opinio fert; ſed ideo videtur oriri, quod fauces irritentur a puſtulis, & quod univerſalis fiat omnium humorum ad caput parteſque ſuperiores raptus. Hinc ſalivatio, quæ, ſi aut ſubſiſteret ante tempus, aut debito eſſet par-

cior,

cior, id mali afferret ægro, quod evenire videmus in *ſalivatione mercuriali* repente, ob admiſſum forte aërem frigidum ſufflaminata. Etenim conſtrictis ductibus ſalivæ excretoriis, manente interim humorum ſalivalium, aliorumque ad partes ſuperiores affluxu, encephalum vicinum vim patietur a cohibito humore copioſiusque collecto, mortemque inferet apoplecticam. Salivationem ergo varioloſis proficuam opium reddit moroſiorem, eamque cohibent non raro omine pravo.

7) Opium ſeceſſus cohibet in hac febre adeo neceſſarios. Verumtamem huic indicationi opium prorſus oppoſitum eſt. Cum vero materies varioloſa, quæ puſtulis & cute excipi tota nequit, quæ ſanguinem oberrat partim, partim etiam ad veſicam determinatur ſponte, vel ope artis.

8) Opium etiam urinarum ſecretionem & excretionem imminuens malos edet in varioloſa ſecundaria febre effectus. Sed

9) Id quoque advertendum, in conſluentibus variolis febrim ſecundariam varioloſam ſtipari alia febre, ſeu bilioſa, ſeu putrida malignaque, aut quacunque febre ſaburrali. Verum tamen conſtat, bilioſas febres, putridas, ſaburrales omnes plurimum inten-

di

di dato opio, atque ex curâ harum febrium opium omnino debere exulare, niſi forte poſt emeſin aut purgans ad turbas comprimendas, aut vero ob urgens quoddam ſymptoma opii viribus cohibendum ad tempus.

10) Id quoque aliunde conſtat, in febre quacunque, quæ furunculos comitatur, aut abſceſſum alicubi format, opium aut ſaltem non indicari, aut etiam contraindicari.

Nihilominus nolim iſta omnia ſic accipiantur, quaſi proſcribi opium ex medicina varioloſa, atque ex cura febris ſecundariæ deberet ſemper & ubique. Hinc recenſitis iis, quæ opium nequaquam admittunt, ea modo veniunt enarranda, quæ ejus uſum etiam poſtulant.

Hinc *primo* omnium indicatur, ubi vis vitæ *depreſſa* eſt, exemplo ſenilis gangrænæ, quæ opio ſiſtitur; eſt enim inebrians, calefaciens, ſtimulans.

Secundo, in nimia irritabilitate, in mobilioribus, doloris impatientibus; in convulſionibus ab eadem cauſa.

Tertio, ubi humores ab exterioribus ad interiora ruunt, facie collapſa, puſtulis antea rubentibus, nunc pallidiſſimis, diarrhæa ſuperveniente, exhauriente, forte ob

ſuſceptum frigus; potenter enim diaphoreſin movet, & alvum cito, & certo ſiſtit.

Quarto, in diarrhæa *putrida* & *nimia*.

Quinto, vomitu ſymptomatico *nimio*.

Hæ fere indicationes ſunt, quibus præſentibus opium indicatur.

8) Veſicantibus nonnunquam locus eſt in varioloſa ſecundaria febre. At male ſemper in omni febre ſuppuratoria adplicantur. Videamus breviſſime effectus cantharidum, eosque cum natura varioloſæ ſecundariæ febris comparemus, ut quosdam, quibus regamur canones, nobismet conficiamus.

1) Cantharides ſolida ſtimulant, ſtimulando aut febrim excitant, aut præſentem augent.

2) Cantharides quasdam ſecretiones & excretiones augent, e. g. diaphoreſin; alios vero imminuunt; urinam nempe, quam frequentem, frequentiorem, frequentiſſimam, ſed parciorem, & tandem nullam ægri mittunt; alvum quoque imminuunt; & non ſolum cruentum inducunt mictum, ſed etiam ſubinde alvum cruentam, inflammando & renes & veſicam, & inteſtina.

3) Diſſolvunt, & putredini magis idoneos reddunt humores.

4) Sitim accendunt.

5) Dum

5) Dum excretionem urinarum alvique comprimunt, humores ad encephalum urgebunt validius.

Hæc fere vitia, hæ etiam virtutes ſunt cantharidum, qua de re lectu digniſſimam diſſertationem legimus apud *Baglivium*, quam eo etiam ex capite iterato legendam commendabat *Stollius*, cum graves quosdam errores practicos in ægrorum ſalutem dedoceat.

En jam ipſe, quam raro convenire remedium poſſit, quale cantharides ſuppeditant in morbo varioloſo, remedium diaphoreticum, ſtimulantiſſimum, ad caput humores urgens, liquida diſſolvens, alvum urinasque ſuſpendens.

Nihilominus, ſi diarrhæa accedat in febre varioloſa ſecundaria, diarrhæa non levis, ſed gravis, tumultuaria, virium ruinam, faciem collapſam, puſtulas ſubſidentes, ruborem interſtitiorum disparentem, exiliſſimos pulſus &c. efficiat, diarrhæa maligne febrientium ſymptomatica, a dejecto inteſtinorum tono, veſicantia miraculi ſubinde adinſtar profuerunt; tunc enim id ſæpe infortunii obſervatur, ut æger aut nequeat indicata remedia deglutire, aut ſi deglutiat, non per alvum effundat, priusque

vim exſerant ſalutarem. Cantharides autem per modum emplaſtri appoſitæ ſubibunt humorum maſſam per inhalantia vaſa.

Alius etiam cantharidum uſus eſt, ubi ſcilicet alicubi metaſtaſis materiæ varioloſæ facta eſt, non ob orgasmum, ſed ob vim vitæ debiliſſimam, non valentis per omne corpus & anfractuoſos canales humorem circulantem circumducere. Deliria, & orthopnœas ab hac vera vitæ imbecillitate ortas, acerrima veſicantia ſuris applicata auſpicato ſubinde tollunt. Nihilominus notandum, cantharides, etſi ob urgentiſſimum ſymptoma certo indicentur, tamen ratione aliarum ſuarum qualitatum nocere; at hujus nocumenti minor ratio in præſentiarum erit habenda. Convenit tunc præter veſicantia, largos quoque calidos, atque aromaticos vinoſosque potus exhibere.

Nocent autem cantharides in illo humorum orgasmo, qui caput, pectus opprimit, qui alvi ductione, venæ ſectione, acidis ſopiri debet. Nocet etiam in nimia ſuppuratione.

En denuo, quam variam oporteat methodum adhibere, vel in eodem morbo, quin in eodem ejusdem morbi ſtadio! quam in-

inepte & periculoſe ſemper eadem ratione medeamur!

6) Camphoram alii depraedicant; proderit, ubi validius paulo ſtimulandum. Hae ejusdem virtutes ſunt: vires blande erigit, & fibras ſtimulando putredinem coercet, atque putridos humores ad cutem pellit; acidis juncta mineralibus, egregios ſubinde effectus praeſtitit. Camphora vitello ovi in formam unquenti ſubacta, atque toti fere corpori variolantis illita, foeminam fere ex gangraena mortuam, denuo reſtituit.

7) Serpentariae & angelicae radicis vires ſunt inflammantes, ſtimulantes, & plerumque non conducunt, niſi dejectiſſimis vitae viribus.

Hinc apparet, quando proſit moderatus uſus meraci vini: tunc nempe, ubi vires languent, & debilis pulſus eſt. Cum autem in graviori morbo fauces & oeſophagus ſaepe puſtulis obſideantur, quarum cruſtae in humidis his locis citius decidunt, quam in externa corporis ſuperficie; hinc vinum purum ſenſiles has partes quandoque offendit. Dilutum tunc decocto hordei, panis &c. addito pauco ſaccharo, & corticum citri recentium fruſtulo, gratiſſimum potum dat, qui admodum reficit debiles aegros, &

ſimul putredini reſiſtit efficaciter. Dum Anglorum more libræ IV. lactis dulcis recentis ebullientis additur media libra vini, & deinde per colatorium ſeparatur lactis coloſtrum, habetur ſerum lactis vinoſum, jucundiſſimi ſaporis. Similes potus ex decocto hordei, cum ceraſis, fragis, pomis fragrantibus, plures parari poſſunt, addita pariter illa vini quantitate, quam medicus requiri autumat, ut languentes ægrorum vires excitentur absque periculo.

Symptomata urgentia.

Abſolutis, quæ ad curam hujus morbi ſpectant, forte non inutile erit, pauca quædam addere, de quibusdam ſymptomatibus, quæ quandoque hunc morbum comitantur.

Convulſiones in ſtatu contagii, imprimis circa tempus eruptionis ſatis frequenter contingunt, & plerumque ſine malo eventu. Interim per ipſas convulſiones poſſunt mira mala produci in corpore, præſertim ſi validæ fuerint, ac frequentes. Quantum ab aura frigidiuſcula liberoque aëre in hoc ſtadio levamen habeatur, ſupra dictum eſt.

Dolores ſubitos, & moleſtiſſimos quandoque obſervavit *Swietenius.* In puella ſep-

tem-

temdecim annorum, quæ laborabat variolis diſcretis, nec numeroſis admodum, nec mali moris, ſuppurationis tempore ſubito oriebantur enormes dolores circa pedum plantas, qui dein per crura ac femora diſpergebantur, ita, ut inde convelleretur, poſtea & tales dolores brachia invadebant. *Dimerbrœckius* obſervavit, circa eruptionis tempus, aut dum matureſcere incipiunt variolæ, interdum ingentem dolorem & pruritum percipi in volis manuum, eo quod denſior illarum partium cutis variolarum eruptionem impediat; fovendas tunc ſuadet has partes aqua calida lacti miſta, vel decocto emolliente. Molliſſimis igitur decoctis calidis ilico in ſupradicta puella curavit foveri dolentes pedum plantas; ſed absque ullo levamine: cum autem videret eosdem dolores diſpergi per crura ac femora, poſtea etiam brachia invadere, & ſimul convelli miſeram præ dolorum acerbitate, dedit laudanum liquidum repetitis vicibus, donec levaretur dolor, optimo cum effectu. Sedato dolore, morbus reliquum decurſum placide abſolvit, & brevi perfecte ſanata fuit ægra.

Glandularum inquinalium tumor ſemel a *Swietenio* obſervatus fuit, ſubito ortus tempore maturationis in puero, qui variolis con-

fluentibus periculoſe decumbebat. Feliciter ſuperavit morbum, & unacum morbo ille tumor ſponte evanuit.

Urinæ ſuppreſſio a *Sydenhamo* obſervata eſt, præſertim in juvenibus, in ſtatu vel declinatione variolarum diſcreti generis. Exemptio e lecto & circumductio per cubiculum largam urinæ excretionem promoverunt.

Mictus cruentus, peſſimi ominis ſymptoma. Non tamen ſemper ab una cauſa ortum ducere videtur. Obſervata enim eſt ab ipſa febris inflammatione vehementia hæmorrhagia renum; alias a diſſoluto ſanguine oritur. In priori utique caſu in ſola antiphlogiſtica methodo, in altero autem in ſolo antiſepticorum uſu ſalus quærenda eſt; habita nempe ſemper ad febrim, quæ variolas comitatur, attentione.

Cum autem variolæ quandoque foveas in cute ſatis profundas relinquant, & egregiam vultus formam ſæpe peſſime deturpent, non immerito ſolliciti fuerunt medici, ut omnem ægrorum deformitatem caverent, vel emendarent, quantum per artem fieri poteſt.

Omnes hæ foveæ fiunt, dum a pure aut ichore, variolis contento, ipſa cutis eroditur.

tur. Quo igitur minores numero papulæ faciem occupant, eo minor cæteris paribus. Quo materia variolis contenta blandior eſt, eo minus deformitatis periculum erit, & ob hanc cauſam a variolis diſcretis minor metus, quam a confluentibus. Præterea, quo magis variolæ extra cutis ſuperficiem eminent, eo minus eroditur cutis; contra, dum variolæ planæ & ſeſſiles ſunt, in ipſa cutis ſubſtantia quaſi hærentes, dum longe plures relinquuntur foveæ. Sæpe obſervavit *Swietenius*, quod mites, diſcretæ, & magnæ molis variolæ, poſtquam exſiccatæ deciderant, reliquerint, loco fovearum, tubercula rubra, elevata, quæ poſt aliquot ſeptimanas ſponte ſubſidebant, ſicque reddebatur cuti perfecta æquabilitas.

Oleo amygdalarum dulcium ſuaſit quidem inungi has cruſtas *Sydenhamus*, ut ſic emollitæ caderent citius; fatetur tamen, ſe nihil moliri, ne facies turpibus cicatricibus deturpetur, cum ab oleis, linimentis &c. obſervaſſet, illa plus nocuiſſe, quam profuiſſe. Recentem lactis cremorem inunctum ſiccas illas cruſtas emolliviſſe ſatis feliciter, novit *Swietenius*. Unicum, quod profuiſſe novi, ait *Swietenius*, ad minuendam deformitatem, ubi denſis cruſtis tegitur facies,

eſt, ſi cruſtæ illæ, ſiccari incipientes, molliantur blandis pinguibus, vel decocto emolliente applicato, emollitæ cruſtæ ſeparentur prudenter, & ulceroſa cutis tegatur molli emplaſtro, tuncque peritus chirurgus, bis de die detegens faciem, prudenti arte poterit multum emendare deformitatem, & cavere, ne turpes nævi a corrugata hinc inde cute maneant. Simul diverſa poteſt applicare remedia locis diverſis, prout vel eminent ſuper vicina, vel deprimuntur. Sed & hoc boni habet hæc methodus, quod paretur puri reſorpto verſus exteriora exitus. Vidi plures, quibus a confluentibus variolis tota facies quaſi larva obducta fuerat, periti chirurgi ope ſic curatos fuiſſe, ut minimæ, & numeroſiſſimæ faveolæ quidem manſerint, ſed, cum æquabiliſſime per totam faciem diſpargerentur, parum gignererit

Ex dictis apparet, quid credendum ſit de topicis remediis ad præcavendam deformitatem, quæ apud auctores multis encomiis laudantur. In diſcretis & mitibus variolis vix unquam deformitas manet, tuncque his applicatis immerito tribuitur felix ſucceſſus. In pejori autem variolarum ſpecie hæc eadem inveniuntur ſemper inutilia; imo & quædam ex iis manifeſte damnoſa,

adeo-

adeoque in his recenſendis non inhærebo. Qui longum talium remdiorum catalogum voluerit perlegere, alios auctores adeat a).

a) Detharding Diſſ. de facie a variolarum inſultibus præſervandis. Roſt. 1754. In Halleri collect. diſſ.

Univerſim in curandis morbi hujus ſymptomatibus febris præcipua ratio habenda eſt; & ſequentes *Freindii* animadverſiones ſummam medentium attentionem merentur:

1) Veriſſimum eſt, quod multi, maximi ingenii viri, naturæ ductum non juſte attendentes, ſymptomata pro ipſis morbis curare tentant, adeoqne *plures* faciunt, quam natura, morbos a).

a) Harriſon epiſt. de purgantibus ad Freindium.

2) In curando morbo varioloſo medela non nimis ſcrupuloſe ad diverſa hujus morbi ſtadia exigenda eſt, monente *Freindio:* „Quare utraque, tam cohærentium, quam confluentium ſpecies, uti in reliquis perparum diſcrepat, ita ſimilem omnino curandi viam deſiderat. Hoc quoque obſervatione haud indignum, quod, utcunque morbi, quorum hic pertexitur hiſtoria, ſint omnino ſimillimi, alii tamen, alia cum ingraveſcendi, tum decedendi tempora habuerint.

Hujus-

Hujusmodi fortaſſe variolas quispiam anomalas, & quaſi extra ordinem poſitás haud abſurde apellaverit: at ſunt tamen eæ, quæ omni tempeſtate plurimum occurrunt, omnibus fere ætatibus ſunt communes. Neque vidi adhuc hujusce generis variolas, quæ ad hanc dierum regulam magis exquiſite ſint compoſitæ. Nonnunquam enim in ipſo morbo dierum ratio mutatur, ſitque gravior, qui remiſſior eſſe conſueverat. Ita, ut is maxime fallatur neceſſe ſit, qui temporum momenta nimis exigue & exiliter ad calculos revocat; permulta quippe intercedere ſolent, qui eam in morbis hisce varietatem facile pariant, ut ægrotus interdum hoc, interdum alio die, maxime in periculo verſetur b).

b) Freind. epiſt. de purgantibus.

3) Neque eadem in omni varioloſo morbo methodo inſiſtendum eſt: „Quippe ſi qui præjudicata opinione hanc vel illam medendi viam perpetuo eſſe tenendam putant, ne ii maximo ſunt in errore. Oportet enim varium ſequi curandi genus: modo cardiacis, mitioribus ſaltem inſiſtere; modo ea ipſa negligere; interdum evacuationibus rem totam committere; interdum iis non niſi parcius

cius uti. Prodeſt in aliis caſibus ſomnum quocunque modo arceſſere; in aliis, ſimillimis licet, hac medicinà prorſus abſtinere; eſt, ubi præ cæteris ipſum variolarum ſtatum & tempora intueri convenit c).

c) Id. de quibusdam variolarum generibus.

Notas adhuc aliquas juvat addere, quibus variolæ *malignæ* a *benignis* differunt. Diſcrimina autem fere ſunt ſequentia.

1) Anni tempus: quo citius enim hyeme ingruunt variolæ epidemicæ, eo violentiores eſſe ſolent.

2) Intra unum aut duos dies malignæ prodeunt; aut poſt 72 horas quidem, absque ordine conſueto, & confertim. Si poſt hoc tempus erumpant, male.

3) Gravis artuum dolor, quaſi rheumaticus, in prima febre malas variolas denotat.

4) Febris poſt eruptionem aucta, aut perſiſtens. Variolæ exiguæ, complanatæ, irregulari ambitu, intropreſſæ, lividæ, cum puncto obſcuræ, vacuæ, ſanguineæ, lymphaticæ, virides.

5) Febris ſecundaria *ſubito* increſcens. Affectiones topicæ aſperæ arteriæ, præcipue pulmonum ſub hac febre; variolæ tandem non flaveſcentes. Salivatio, ejusque

que incommoda, pericula. Cruſtæ poſt priores deciduas ſemper novæ. Hæmorrhagiæ.

6) Die undecimo in bonis omnia fere bona, in malis omnia peſſima; nova enim febris naſcitur periculoſiſſima; periculum ſummum diebus 11., 13., 17., 20., & ſerius adhuc.

7) Longior multo decurſus eſt variolarum malignarum.

8) Ultimum denique variolarum malignarum diſcrimen eſt a variolis benignis, quod illæ morbos quam plurimos & graviſſimos poſt ſe relinquant. Cicatrices fœdæ, ſenſus cujusdam jactura, loquelæ, auditus, viſus, memoriæ; morbi omnes convulſivi; fatuitas, paralyſis, febricula hectica; atrophia; herpes, aliique cutis morbi &c. &c. Nullus morbus eſt, qui inde non fuerit aliquando ſanatus.

Variolæ autem malæ evadunt ex ſequentibus rationibus potiſſimum.

1) Ex mala ægri prædiſpoſitione.

2) Ex antecedente morbo epidemico.

3) Ob copiam variolarum, & inde febrim graviorem.

4) Ob rationes in quavis febre conſuetas, & generales.

De

De variolarum ſede, an nempe etiam internæ corporis partes puſtulis obſideantur, ſupra mentio facta. Illud tantum hic addere liceat; ſi verum eſt, etiam in viſceribus puſtulas ſubinde fuiſſe repertas, variæ, ut celeb. *Vogel* monet, quæſtiones moveri poſſunt:

1) An dentur variolæ internæ absque externis?

2) An etiam variolis hisce internis diſpoſitio ad recipiendas variolas eodem modo deſtruatur, ut id ab externis variolis ſolet contingere?

3) An non ſubinde homines, qui a contagio immunes eſſe videntur, prægreſſis variolis internis hanc immunitatem debeant?

4) An non forte febris varioloſa absque variolis internis variolis ſtipetur?

5) An non ſubinde homines, qui variolis nondum laborarunt, ex internis variolis, inſciis medicis, moriantur?

Enarrata hucusque variolarum naturalium hiſtoria, atque expoſita curandi methodo, patet, quantas ſtrages morbus hic mortalibus inferat, & quam multis difficultatibus ipſa variolarum cura undique prematur, ſeu pravam corporum diatheſin, aut aliorum mor-

morborum complicationem, aut ipſos denique medentium errores conſideres. Ut igitur omnibus exoptatiſſimum debeat eſſe *van den Boſchii* remedium, quod ejus hæredes ſeſe eſſe divulgaturos promiſerunt, ſi numerus ſubſcribentium inventi dignitati reſpondeat a).

a) Baldingers mediciniſches Journal. B. VI.

1) Methodus hæc ſimpliciſſima, tutiſſima, & ſi morbi durationem ſpectes, breviſſima; plerumque enim intra 11, 12, aut 13 dies, prout variolæ citius aut ſerius erumpunt, morbus varioloſus finitur, atque octavo ab eruptione die plerumque ad finem perductus eſt.

2) Durante morbo ptyalismus, & alia conſueta ſymptomata e. g. delirium, faucium atque pectoris conſtrictio &c., aut admodum mitia, aut omnino non obſervantur.

3) Hac medendi methodo variolæ confluentes vix non ſemper in diſcretas mutantur; imo puſtulæ ex toto confluentes ſenſim disparent.

4) Quodſi variolæ hac methodo curantur, puſtulæ veſiculoſæ, atque etiam gangrænoſæ, quæ omni hucusque cognita medendi

dendi methodo incurabiles atque lethales habentur, optimo cum ſucceſſu ſanantur.

5) Metaſtaſes illæ adeo timendæ, fomitis nempe purulenti ad pulmones aut alias nobiliores corporis partes ſeceſſus, raro locum habent, cum materia varioloſa ab intraneis corporis partibus ad externas continuo propellitur; aut ſi etiam talis metaſtaſis forte contingat, facile iterum tollitur, atque ſanatur.

6) Febris ſecundaria, aut ſuppuratoria, quæ plures ægros occidit, & qua durante variolarum contagium maxima vi diſpergitur, raro vel nunquam oritur, aut etiam orta absque malis ſequelis ſolet decurrere.

7) Morbi varioloſi vehementia hac medendi methodo adeo mitis evadit, atque immutatur, ut indolem terribilis atque contagioſæ luis amittat, atque morbi duntaxat cutanei, quam febricula quædam comitatur, ſpeciem exhibeat. Atque inde ſequitur:

8) Ut ſubinde nullæ omnino foveolæ, aut cicatrices exſiccatarum puſtularum remaneant. Atque vix unquam variolæ ſecundariæ obſervantur, cum fomitis varioloſi contagium plurimum imminutum, fermentatione ſcilicet cohibita & devicta. Hinc contingit, ut variolæ, etſi intumeſcant, & re-

pletæ eſſe videantur, ſi aperiantur, paucum, aut nihil puris contineant. Hac etiam ratione lintea materia varioloſa minus inficiuntur, atque miasma varioloſum non tam late diffunditur. Ita quoque ſub hac methodo medendi evenit, ut ab ægris fœdus ille fœtor adſtantibus adeo moleſtus abſit. Hinc

9) Magna animi voluptate videmus, fœdam hanc luem, tali ſanationis methodo, in levem admodum atque tolerabilem ægritudinem, quæ vix morbi nomen mereatur, transmutari.

Celeberrimus hic quondam Batavorum medicus jam ante 21 annos tentamen de optima adverſus variolas præcautione, patrio idiomate vulgaverat; de quo *Hænius* ſequentia annotavit: „Tandem Medicus Hago-Batavus, *van den Boſch*, non minus practica, quam erudita diſſertatione, hanc materiem fuſius tractavit: cujus, cum orbem univerſum interſit, nullus dubito, quin, quod lingua patria, cæteris nationibus mortua, ſcripſerit, in Latium, quo reliquis Europæ gentibus proſit, transferre protinus velit a).“

a) De Hæn. rat. med. continuat. P. I. p. 88. Ed. Vien

Inſi-

Inſitio variolarum.

Vidimus variolarum hiſtoriam, quantásque eæ ſtrages édant inter mortales. Ab omni ævo cogitatum eſt, qua ratione aut morbus vitari omnino poſſit, aut is reddi minus pernicioſus. Quinam fuerint hominum conatus, ut a variolis ſeſe immunes præſtarent, ſupra enarravimus; at ſimul monuimus, eos conatus plerumque vanos extitiſſe.

Cum ergo quidam viderent, variolas adeo devaſtatrices ſubinde certis nempe temporibus eſſe, alio vero tempore benigniſſimas, illa bina diverſa tempora ſedulo obſervabant, & ubi benignum variolarum genus graſſari deprehendebant, eos, quos a variolis quam mitiſſime habitos vellent, omni ſtudio ipſimet varioloſo contagio afficere satagebant. Hic ortus eſt, hæc origo *variolarum artificialium*, ſeu inoculationis.

Cum enim neceſſitatem variolandi propemodum univerſalem contemplarentur, cum variolarum ipſarum ingenium adeo dispar, dispar periculum, nunc ſummum, alio vero tempore propemodum nullum: eo ſe redactos conſpiciebant, ut e duobus propoſitis malis illud eligerent, quod eſſet multo

 minus,

minus. Maluiſſent vitare poſſe omnem varioloſum morbum; quod cum fieri nequiret, ſuffecerat, eum habere ſaltem quam maxime benignum.

En! inoculandi methodum *ſobolem eſſe deſperationis*, eſſe triſte auxilium, auxilium tamen.

Id hic nollem ſilentio præterire, videlicet methodum inoculandi eſſe & antiquiſſimam, & inter omnes fere majores populos Barbaros uſitatam, inter homines omnis alias litteraturæ expertes. Aſiatæ, Tartari, incolæ quidam Africæ juxta mare mediterraneum, quædam Britanniæ provinciæ ab immemorabili tempore diverſas inoculandi praxes exercent.

Juvat nunc ad graviſſimam quæſtionem accedere, an præſtent variolæ artificiales naturalibus, & ſi ſint quædam artificialium commoda, quænam illa ſint? Præſtare autem arbitror variolas artificiales naturalibus, & eſſe ſequentia commoda:

1) *Anni tempus.* Jam inde ab incunabulis medicinæ conſtat, non eſſe eandem omnium anni temporum rationem quoad ſalubritatem; nonnunquam epidemias dari graves, & funera multa. Quin ipſæ variolæ diverſis temporibus *diverſiſſimæ* ſunt. Obſervatio

tio docuit, æſtatem, ſed maxime autumnum peſſimas variolas plerumque proferre; nonnunquam vero frequentiſſimæ variolæ ſunt, ſed absque fere diſcrimine. Emolumentum ergo non infimum erit, ſeligere aliquo modo nos poſſe tempus anni, & epidemiam variolarum bonarum, aut etiam illud anni tempus, ubi *pauciſſimæ* graſſantur, tunc enim plerumque ſolent etiam eſſe *quam optimæ*. Hinc ſuadenda aut *fuga*, aut præter fugam ſuadenda ſunt ejusmodi, quæ aliquid habere ſpecifici videntur contra variolas, ſi hominem quemdam tempore pravarum variolarum velimus præſervare, eumque reſervare in tempus quoddam minus periculoſum.

Quonam anni tempore variolas inſerere oporteat, alio loco *Stollius* diſſeruit: „Cum maximus in curandis variolis nodus ſit, easdem a febre populari prohibere, bilioſa præcipue, putrida, malignaque, aut eam, ſi jam adſit, omnibus artis præſidiis propulſare, id anni tempus huic morbo ſecurius exantlando idoneum imprimis erit, quod pauciſſimos morbos proferet. Cum enim maximum malum a cœlo gravi, morboſoque variolis accedat, eo ſalubri has eſſe benigniores oportebit.

 „Hinc

„Hinc æſtas, plurimorum utpote præ aliis anni partibus morborum mater, omnium peſſimam variolarum progeniem dabit, vitio temporis multiplici, bilioſo, putrido, maligno contaminatam. Hanc proxime autumnus excipiet. At hyems & ver, ſi ea tempora fuerint, qualia oportet, præ cæteris variolas ſinceras ferunt, & ſui moris, & indolis bonæ tenaces. Ex dictis conſtat, qua anni parte inſerere variolas præſtet a)."

a) Stoll. rat. med. T. II. p. 237.

2) Alterum commodum eſt, quod ægri conditio, & ratio valetudinis quaſi ſeligi poſſit; variolæ vero naturales nulla habita ſanitatis ratione adoriantur. Scimus enim, dentitionem variolas poſſe reddere periculoſas. Qui febribus laborant verminoſis, pituitoſis, bilioſis, aut qui ſaltem ejusmodi febriculoſa diſpoſitione laborant, difficiles pariter variolas experiuntur. Hinc ea felicitas inoculandis contingit, quod vitare hæc tempora poſſint, & optimæ valetudinis tempus ſeligere.

Difficiles variolæ ſub primis menſtruis, in graviditate, puerperio. Habentur triſtia exempla, & quotidiana, vel in ipſa hac urbe; in itinere &c. Quanta ergo felicitas; vario-

variolis defungi poſſe extra ejusmodi tempora diſcriminis plena!

Reſolvenda ergo alia gravis quæſtio eſt, ſcilicet hæc: quinam illi morbi ſint, quos oportet vitare, ita, ut qui eodem affectus ſit, inoculationem ſubire tuto nequeat? Dari tales morbos, qui cum variolis complicati ægrum in vitæ diſcrimen adducunt, per obſervationes edocemur indubitatas. Verum per æque certas conſtat obſervationes, dari quosdam alios morbos, quos ipſæ variolæ inoculatæ tollunt. Inoculatores multi, atque inter hosce maximæ fidei, non circumforanei, teſtantur, vidiſſe ſe homines antea valetudinarios, quos variolæ inſitivæ a diuturna ægritudine immunes præſtiterint, ſanarint. Quinam ergo illi morbi ſunt, quos vitare oportet, tanquam pejores futuros ab inoculatione, & quinam item illi morbi ſint, qui per ipſas inſitivas variolas ſanantur? Gravis quæſtio, & noſtra contemplatione digna! quæſtio ſummopere practica!

Reſpondeo: Duplicis generis morbos univerſim obſervo: primo *febriles*, ſeu quibus febris ſupervenire cum ægri noxa ſolet. Altera morborum claſſis pertinet ad morbos *non febriles*, ſeu tales, qui febrim ſibi adeo conjunctam non habeant, ut ſuperve-

niente forte febri, aut febre per artem concitata non reddantur pejores, ſed potius ſanentur. -- Vel 1) morbi, qui febre fiunt pejores, & 2) morbi, qui febre ſanantur.

Variolæ cum prima morborum, febrilium nempe, claſſe conjunctæ, pravum, & ægro periculoſum conſortium faciunt: e. g. variolæ cum dentitione, morbo utplurimum febrili conjunctæ; malæ ſunt variolæ inter conamina primorum menſtruorum, morbum, aut motum ſaltem febrilem; variolæ in fœmina gravida malæ ſunt. Graviditatem non dico morbum, ſed eum tantum ſtatum appello, qui accedente febre quacunque, hinc etiam accedente febre varioloſa, diſcrimen facile infert. Variolæ puerperarum malæ; puerperas febris omnis lædit; his per ſe alia quædam febris ſpecies, quam puerperarum dicunt, inſidiatur. Puerperas febris lactea ſæpe, plus minusque laceſſit; nonne nova accedens febris, varioloſa nempe, male cederet?

Variolæ plethoricis, crudis, poſt commeſſationem accedentes, malæ ſunt, non tam quatenus variolæ, ſed quatenus ſunt febris.

E contrario morbi ſunt, quos excitata febris ſanat, aut ſaltem reddit mitiores. Morbos

bos ejusmodi potius deberemus languores apellare. Datur quædam ſcrophulorum conditio, ubi prodeſſet, humorum motum aliquantum incitare, ut infarcta expediantur, ſpiſſaque attenuentur; hinc capi poteſt, quomodo quidam ſcrophuloſi poſt inoculationem etiam quoad ſcrophulos melius habuerint.

Virus venereum a parentibus, ab avo forte hæreditario acceptum intra corpus latet, quod accedente febri, varioloſa nempe, in motum ducitur, atque extra corpus eliminatur, eadem prorſus ratione, qua ſubinde morbum venereum motis ſudoribus, & materie ad ſuperficiem corporis projecta ſanamus. Hinc illa miracula explicantur ab inoculatoribus relata, habuiſſe ſe ægros miasmate venereo contaminatos, qui mites experti variolas fuerint, & a lue hæreditaria fuerint curati.

Qui vappidos, non elaboratos, aquoſos humores habent, juvantur inoculatione, id eſt, juvantur excitata febre.

Rachitici ad hanc claſſem pertinent, quos a variolis non male multari, quin potius levari, inoculatores teſtantur.

Puerorum frequens & pertinax morbus tinea eſt, achores, aliæque cutis tur-

pitudines. Hi, cæteris paribus, variolas medicatrices experiuntur. Ratio patet.

Phthiſicos, tuſſiculoſos, anheloſos ajunt adeo a variolis pejus non habuiſſe, ut potius levarentur. Forte tunc, ubi acre quoddam ad pulmones decubuit, ubi ſcabies, aut alia cutanea ægritudo fuerat mala methodo, e. g. unguinoſis retropreſſa, quæ dein pulmones vexavit. Variolæ ſupervenientes materiam denuo evocarunt foras, & abſceſſuli varioloſi totidem quaſi ſalutares fonticulos præſeferebant.

Non omnes enumeravi morbos, qui a variolis deteriores redduntur, aut qui ab iisdem ſanantur. Attamen regulam ſtatui, mediante qua determinare ſagax medicus poteſt, an poſito quodam morbo cognito variolæ tuto inſequi poſſint, an vero non.

Hucusque de commodis *certis* ac indubitatis inoculatarum variolarum diſſerui; nunc agam de commodis incertis, & nondum ſufficienter per obſervationes demonſtratis.

Aſſerunt inoculatores, inſitivas variolas ideo etiam eſſe tutiores, 1) quia miasma variolarum non per os in ventriculum, aut in pulmones recipitur, quemadmodum fit in variolis naturalibus, in quibus infectio per internas partes omnium primo peragitur,

Inſi-

Inſitione variolæ vero ſubeunt humánum corpus ab extra, ut ita dicam, ſeu per vaſa cutanea.

Non autem eſſe perinde affirmant, quanam quis ratione inficiatur: periculoſiorem enim eſſe infectionem illam, ubi miasma *inſpirando* hauritur, aut cum ſaliva deglutitur, ubi ſcilicet omnium primo aut pulmo, aut ventriculus afficitur. E contrario vero non periculoſam eſſe *infectionem cutaneam*, quæ in parte corporis externa primo fit, & ita varioloſum virus intra corpus immittit.

Aſſerunt præterea, miasma varioloſum humores gaſtricos potiſſimum vitiare, bilem maxime; hinc naturales variolas plerumque ex hoc capite periculoſas eſſe. Verum, ut verum fatear, hæc aſſerta nondum ſunt ſufficienter probata.

2) Affirmant inoculatores, commodum quoddam non pœnitendum in eo haberi, quod vulnus inoculando factum vices fonticuli ſubeat, magnamque vim materiæ varioloſæ hac via eliminet. Verum etiam in variolis naturalibus, ſi alicubi locorum leves fiant inciſiones, hoc commodum poteſt obtineri.

3) Aſſerunt inoculatores, variolas inſitivas ideo eſſe minus periculoſas, quod per

ino-

inoculationem minutiſſima tantum doſis materiæ varioloſæ per vulnus intra corpus immittatur ; ubi vero in naturalibus variolis pleni hauſtus ejusmodi materiæ varioloſæ excipiuntur. Non hic agitur, ut hujus aſſerti veritas discutiatur; mihi quidem perparum, aut nihil emolumenti ex eo percipi videtur, quod parum tantum veneni varioloſi ſit intra corpus receptum.

Penſitatis hisce inoculationis emolumentis alia nunc quæſtio redit, an tempore epidemiæ variolarum *pravarum* præſtet inoculationem inſtituere?

Reſpondeo. Si variolæ ſolum illis tribus commodis gaudeant ab anni tempore, a valetudinis ſtatu, & modo inoculationis, facilis eſt quæſtionis reſolutio. Scilicet variolas inſitivas tempore epidemiæ *pravæ* eſſe paulo quidem tutiores variolis naturalibus, attamen multum nihilominus periculi habere. Etenim id ſolum lucror, ſi ſub epidemia ipſa malignarum variolarum inoculationem inſtituam, quod & parare corpus inoculandi poſſim, & valetudinis aptum ſtatum eligere. Verumtamen maximo inoculationis commodo, quod ſcilicet a tempore pendet, carere debeo.

Hinc

Hinc nollem ego quidem hoc tempore, ſcilicet ſub epidemia malignarum variolarum, inoculationem inſtituere. Et forte infortunia non pauca inoculatoribus acciderunt, quæ apud quosdam inoculatoriam praxin infamem reddiderunt, quod ſpem omnem in ſola inoculationis methodo poſuerunt, nulla habita temporum, anni conſtitutionumque epidemicarum ratione.

Multum ſtudium quidam inoculatores in præparatione ad inſitionem poſuerunt. Sed ipſa ſanitas optima eſt ad inoculationem conditio.

In corpore autem antea non ſaniſſimo præparare utique ægrum oportet. Id ſolum male agitur, ſi eadem omnibus præparatio præſcribatur, ſi omnibus eædem pilulæ, aut iidem arcani pulveres propinentur. Inquirendum igitur eſt, quidnam vitioſi potiſſimum in noſtro inoculando deprehendamus, aut quorſum, utut is bona ſanitate fruatur, nihilominus totum ejus corpus inclinet, & quibus alias morbis ſoleat eſſe obnoxius. Saltem præparari æger ita poteſt, antequam inoculationem ſubeat, ut quantum fieri poteſt, ab omni errore caveat in ſex rebus non naturalibus.

Hinc tot oriuntur diverſæ methodi præparandi, quot corpora diverſa. Sic plethoricum

ricum hominem ad ſubeundam inoculationem præparabimus detracto ſanguine. Eum, qui cruditatibus ventriculi obnoxius eſt, purgabis aut ανω aut κατω. Puero abdomen tumens habenti, multa pituita aut vermibus ſcatenti, purgans anthelminticum dabis, jalappam, mercurium dulcem, & his ſimilia.

De ætate etiam inoculationi oportuna quæritur. Non omnis enim ætas faciles patitur variolas. Præſtant juvenes ætati adultæ, juventuti præſtat pueritia.

An etiam infantes lactantes inoculandi? Multa equidem proſtant exempla, id felici cum ſucceſſu fuiſſe tentatum; multæ tamen rationes ſunt, quæ id, niſi neceſſitas urgeat, disſuadent.

1) Magna infantum in convulſiones proclivitas.

2) Difficultas remedia idonea tenellis puſionibus ingerendi.

3) Dentitio.

4) Plurima in ætate infantili funera.

5) Multiplex periculum, quod a vitiata lactis materni indole infantibus inſidiatur; quod in matre admodum ſenſili, & de fauſto morbi eventu anxia, facile contingit.

6) Puſtulis linguam, fauces, nares obſidentibus, atque hinc ſuctione impedita,

&

& difficili aëris inſpiratione, multa eaque gravia mala timenda ſunt.

7) Copioſiores ſolent eſſe in tenella hac ætate variolæ a).

a) Cel. Vogel. med. Handb. 3ter Theil.

Hinc in infantibus ante dentitionem, ante ſeptimum videlicet menſem, inoculatio deberet inſtitui, aut etiam exacto ſaltem integro anno, & extra molimina dentitionis.

Alia quæſtio eſt, anne re ipſa eſſentialis differentia inter variolas naturales & inoculatas? Reipſa nulla differentia datur eſſentialis. Nullæ enim, apud nos ſaltem, variolæ dantur ſua ſponte, & quæ absque ullo contagio naſcantur; quemadmodum luem veneream, noſtris in terris ſaltem, nemo ſuapte, & absque contagio contrahit. Diſcrimen id ſolum intercedit, quod variolæ dictæ *naturales*, contagio *non præviſo*, ex contagio temere, & ſub forte prava anni conſtitutione ſuſcepto, & quaſi ex inſidiis hominem adoriantur. Naturales ergo variolæ re ipſa ſunt *inſitivæ*; illud etiam diſcriminis intercedit, quod contagium variolarum naturalium plerumque inſpirando hauriatur, aut cum ſaliva in ventriculum deferatur; variolæ vero proprie ſic dictæ inſiti-

væ

væ per cutis poros, non ſalutato ventriculo communicantur.

Alia item quæſtio eſt, qua ratione rationari ſecum ipſe ille debeat, qui e. g amatæ proli variolas inſitivas velit communicare? Etenim, utut incomparabiliter minus periculum ſit in variolis inſitivis, quam in *naturalibus*, res tamen non omni prorſus diſcrimine caret, & habuerunt incoculatores ſua funera.

Reſpondeo: mecum ipſe ita rationarer: Variolæ inſitivæ optimo tempore anni inoculatæ in homine ſano, ad morbum felicius tolerandum præparato, vix únquam lethales fiunt, & ſi fiant, id periculum erit multo certius exſpectandum a variolis naturalibus ex improviſo hominem non paratum adorientibus. Hinc me ipſe conſolarer inevitabili moriendi neceſſitate, cum inoculatæ variolæ alias mitiſſimæ necuerint hominem, qui hoc ipſo citius certiusque ex naturalibus variolis fuiſſet mortuus.

Sed videamus jam ipſas diverſas praxes inoculandi. Omnes eo conveniunt, ut materies varioloſa ex alio homine deſumpta variis viis & modis ſanguini communicetur.

In quibusdam Britanniæ provinciis variolæ cruſta manui affricatur, abraſa prius, medi-

mediante cultro; cuticula. Eandem methodum obſervant Afri.

In Aſia acus pure recenti imbuta inoculandi hominis manui, vel alteri parti infigitur.

In India fila ſericea pulvere cruſtarum varioloſarum imbuuntur, & acu mediante infra epidermidem traducuntur.

In Chinenſi regno cruſtas varioloſas naribus imponunt, mala praxi. Alii appoſito prius veſicante, vel facta levi inciſione pulverem cruſtæ varioloſæ inſpergunt.

Europæi vulnera & *majora* infligunt, & fila pure imbuta impoſuerunt. Verum id incommodi obſervabatur, quod magna inflammatio vulneratæ partis, magna & diuturna ſuppuratio ibi loci ægrum vexarint ita, ut ortum ulcus mali moris multis ſæpe menſibus non coaluerit. Tumores etiam glandularum ſubaxillarium aliarumque difficiles curatu obſervabantur.

At quæ materies eligi pro inoculatione debet, quis delectus eſt materiæ varioloſæ? Præſtat 1) *aquoſiorem* accipere materiem, id eſt, necdum maturam; aptior enim eſt reſorptioni; 2) ex variolis bonæ notæ; 3) materiam recentem præ exſiccata, quam dein diluere primum deberemus.

 Hanc

Hanc materiem apice lanceolæ exceptam in brachio ibi loci, ubi fonticuli alias ſolent excitari, ita adigunt, ut incruentum vulnuſculum fiat, ne ſanguis ex vulnuſculo profluens diluat, enervet, & materiam varioloſam, antequam reſorbeatur, abſtergat.

Loci etiam, in quo inſitio peragitur, ratio habenda eſt. Ruri, aut ſaltem in horto ſuburbano fiat inſitio, &, ut ſupra monuimus, vere adulto. Benignior enim eſſe ſolet epidemiarum vernalium indoles. Præterea liberior, & grata aura febriles motus compeſcit, horti, in quo inoculati per diem una degunt, amœnitas, amicorum & affinium confabulatio, muſicam inter, luſusque varios, id certe efficiunt, ut omnis inſitio variolarum, ab initio ad finem usque, ruſticationi ſit ſimillima.

Sub ipſa eruptione ſæpius, præſertim ſi ſit univerſalis, tota facies ita intenſe rubet, ut confluentium variolarum metus ſubſit. Sed vanus eſt timor. Poſt aliquot enim horas, ſub continuato corporis in aura frigidiuſcula exercitio, pars maxima varioloſi miasmatis in auras diſſlatur.

Solemne eſt eruptione variolarum facta febriles motus ceſſare. Febris igitur ſi non ceſſat, aut ideo ſit, quod materia non om-

nis

nis ſimul & ſemel ſit depoſita, ſed partitis vicibus erumpat, vel ſi id quoque non ſit, ea febris aut epidemica, aut ſporadica cauſa excitata. Magna prudentia & exercitatione multa opus eſt, ne id, quod temporarium eſt, & ejusdem morbi continuatio, pro novo morbo habeatur. Evidens hujus rei exemplum inoculatio anno 1775 in pago *Herrnals* peracta, præbuit. Infans lacte nutricis enutriendus facta inſitione ad eruptionis usque ſtadium bene valuit. Eruptio etiam optime ceſſerat. At ſubito moroſitas, novum febris augmentum, inquies multa, convulſiones, artuum inferiorum ad ſuperiora retractio, & doloris etiam in abdomine acutus ſenſus, ſola accuratiori contrectatione dignoſcendus. Tam præceps rerum mutatio nullæ epidemicæ nunc ſupervenienti febri adſcribi poterat. At neque privatam aliquam cauſam reſcire ab adſtantibus licuit. Stante hac ignoti hujus ſtimuli incertitudine, variolas nunc non amplius reſpiciendo, ſoli inteſtinorum inflammationi medebatur *Stollius*. Abdomen totum cataplaſmate emolliente continuo fovebatur, clyſmata emollientia omni bihorio injecta, mixtura mucilaginoſa, & potus inſuper emolliens, tepidus, frequenter, at parce exhibebantur, hirudines inſu-

per febre non imminuta applicatæ. Nutrici quoque conveniens diæta præſcripta. Continuato ad amuſſim horum remediorum uſu omnia intra paucos dies emendabantur, rediit varioloſa febris, & reliqua quoque ſtadia ex ordine ad finem usque percurrebant. Infante dein extra periculum poſito demum conſtitit, nutricem a cane domeſtico, ſe inſcia ipſius dorſo inſiliente, territam, ubera parvum poſt temporis intervallum, puſioni præbuiſſe. Obſervationibus certe conſtat, lac nutricum a terrore ita immutari, ut non blandus amplius humor, ſed ſumme acris, & vix non venenoſus evadat. Non ergo mirum eſt, tot tantasque turbas in teneris infantum inteſtinulis excitari a).

a) Syllog. obſ. med. IV.

Durante eruptionis ſtadio ſomnus & interdiu, & noctu, quantum fieri poteſt, ſit parciſſimus. Novimus enim, non niſi indormientes convulſionibus corripi. Hinc de die placido corporis exercitio, hominum conſortio, imo artis muſicæ incantamentis ſopor diſcutiendus. Noctu, cum alioquin ſomnus concedi debeat, ſtragula & pulvinaria ſæpius vertantur, ne nimis incaleſcant dormientes. Feneſtræ in contiguo conclavi,

aut

aut procelloſa tempeſtate januæ apertæ ſerventur. Sub ipſis autem eruptionis moliminibus, convulſionibus ſomno ſupervenientibus, infantes e lectu eximendi, ſpiritu cornu cervi, aut frigida excitandi, & aëri frigido mox admovendi, quo incantamenti inſtar ad ſe redeunt.

Diæta non multum recedat a diæta ſanorum. Usque ad initia febris concedi debent & poſſunt carnes tenuiores; dein vero ſola carnium juſcula, fructus, olera. Diæta lactea non eſt neceſſaria.

Remedia per ſe nulla: At 1) aër liber, recens, ſub dio; non tamen immitis aut frigidus. Menſura caloris non ſit thermometron, ſed ſenſus ægri. 2) Motus corporis, utut languor adſit. 3) Parcus ſomnus, nullus interdiu. 4) Ceterum adhibenda ſunt in acceſſu alienorum ſymptomatum remedia appropriata. 5) Morbo finito purgans lene, omni octavo die repetendum.

Morbi variolarum poſthumi.

Utrasque variolas, & naturales & inſitivas graves ſæpe, & difficulter ſanandæ ægritudines inſequuntur, quas noſſe opor-

 tet,

tet, ut eas aut avertere, aut ſanare ſtudeamus.

In epidemia varioloſa annorum 1744 & 45 Hagæ comitum obſervata, *Hænius* ſequentia vitia, tanquam frequentiora, deſcripſit. Vitia ſcilicet hæc erant.

I. Inflammationes oculorum diuturnæ.

II. Hypopion.

III. Dyspnœa.

IV. Furunculi plures minores per varias corporis plagas.

I^mo. Oculorum inflammationes diuturnæ curatæ ſunt diæta humectante refrigerante; epiſpaſticis ad nucham, poſt aures; pediluviis; purgantibus antiphlogiſticis; venæ ſectione; aquæ vitriolicæ adplicatione topica.

II^do. Hypopion curabatur haud absque molimine multo & laborioſo. Puellam annorum 5. variolæ inceſſere benigniſſimæ, ita ut vix ægrotaret. Moroſa interim neglexit potum, & refrigerans regimen. Saneſcit ſenſim, ita tamen, ut pruritus intolerabilis oriretur per totum corpus, præcipue ad palpebras. Tum & advertebantur leves abſoluto ſenſim morbo palpebrarum inflammationes, quare purgans præſcripſi, ſæpius iterandum; at ſumere puella renuit, qua-

cun-

cúnque arte aut ſtratagemate parentes uterentur. Augeſcente igitur inflammatione venam ſecui, epiſpaſticum nuchæ adplicui, & enemata plura adhibui, dum interim ſine corneæ, aut adnatæ inflammatione turbidior paulatim adparuit aqueus humor. Duravit malum ultra 14 dies, quando ſubito pure plenus oculus dexter cerneretur. Mirabar ſubitum phœnomenon, ſed ſenior advocatus practicus ajebat mihi, minime id mirari ſeſe, quum plurima experientia didicerit, etiam in benignis variolis purulentam materiem ad cutim non ferri omnem, ſed in variis ſæpe receſſibus corporis latitare, vel in ipſis deliteſcere humoribus, ex quibus dum ſecernitur, ſubito ſe manifeſtat in locis, ubi nulla antehac inflammatio adparuerat, uti quidem & hic contigiſſe autumabat, quum inflammatio in palpebris tantum obſervata, in ipſo autem oculo nulla fuit. Equidem probatæ experientiæ non refragor; ſed deinceps cogitavi, num in hoc caſu intolerabilem adeo dolorem querens infans, non habuerit inflammationem, ac dein ſuppurationem internæ corneæ, vel tunicæ Ruyſchianæ, aut alius hic loci, quæ mala ante effuſum pus cernere non fuit. Anamneſi igitur dubia parabatur collyrium ex aloe & myrrhæ ana granis quin-

que aqua roſarum ſolvendis, & colo trajiciendis. Tum hoc collyrio ter quater oculo in die inſtillato, & linteolo quadruplicato ſemper adpoſito, ſuperimponebatur linteum aliud ex vino albo gallico, cui cuminum incoctum fuit, madidum; totum autem adparatum tegebat lanea lacinia, quo melius omnia humida ac tepida conſervaret. Aderat ergo medela attenuans, calefaciens, diſcutiens, quod in prima oculi camera deliteſcebat pus. Adparatum ſemper adfixum eſſe debere judicavimus, quia ad minimos radios lucis fere convellebatur, & quia inflammatio præ luce, triſtique manus frigore poterat hinc enaſci. Quin, ne continuo ejulatu infantis, & perpetuo ſtillicidio oculus inflammaretur, neve plus materiæ purulentæ verſus oculum pergeret, perpetuum ſtillicidium poſt aures creavimus, adpoſito ſemper emplaſtro de mucilaginibus cum emplaſtro veſicante, purgandamque bis in ſeptimana eſſe decrevimus. Sesqui menſis ſpatio puella vi coacta, vel, quod ſub alius directione omnia ſumeret, permitteretque, fraude decepta tantum lucrabatur, ut humore aqueo omnino pellucido facto, ferre lucem ſenſim adſueſceret, macula in ipſa corneæ ſubſtantia minime exſtante, remanente

nente tamen e directo pupillæ. Quam tamen collyrium ex aquæ pluviæ partibus binis, & parte una ſpiritus vini cum mucilagine ſeminum cydoniorum miſtum, una cum purgante hydragogo quovis quatriduo repetito menſis ferme ſpatio multum imminuit, ut integræ fere curationis ſpes ſuperſit.

Animus erat, collyrio, quidquid in tenellis adnatæ vaſculis hæſerat intropactum, diſcutere, & mucilagine addita illum ipſum emplaſtri inſtar oculo magis ſervare adfixum, impedireque, ne ſpiritus vini majorem forte, quam ferendo par erat, excitaret motum, conſtrictionemve.

Puella altera annorum 10 variolas confluentes habuit, facta erat ante eruptionem venæ ſectio; datum purgans; pediluvia, epiſpaſtica, decubitus per diem rarior imperata quidem, ſed vix obſervata. Interim deſiccatis variolis bis purgata, & reſtituta fuit integre. Revocor a curatis variolis die 14to, & audio, oculo dextro citra dolorem notabilem lachrymas effluxiſſe perpetuo, eratque leucoma incipiens humoris aquei. Dedi purgans attenuans, hydragogum; nuchæ veſicans adplicui, & oculo juſſi inſtillar aquam fœniculi cum felle tauri. Hinc nihil lucri habui: unde poſt octiduum adplicui

aquæ fœniculi uncias quinque, liquoris myrrhæ ſcrupulos duos, croci grana ſedecim cum mellis uncia una. Ne hinc profecit: octiduo poſt humor aqueus opacior, & in ipſo medio ante pupillam ſub tunica conjunctiva macula enata eſt, alba, rotunda. Quarta abhinc die empyricus unguentum adplicuit, & juſſit fel aqua miſtum inſtillare. Tertio ex quo ille adfuit die macula erat ſiniſtra parte utcunque minor, & aqueus humor paulo pellucidior.

III^tio^. Diſpnœa curata eſt methodo antiphlogiſtica, maxime purgantibus, refrigerantibus, & datis continuo oxymelle aut ſimplici, aut cum ſquilla, nonnunquam adpoſito inter ſcapulas veſicante.

IV^to^. Furunculi ſolito modo curabantur, evacuationibus internis, remediisque maturationem externam cito promoventibus a).

a) De Hæn. poſth. T. I. p. 256.

Morborum variolas inſequentium originem, atque diverſos fontes vir amiciſſimus de *Sallaba* peculiari ſchediasmate expoſuit; atque ita habet:

„Morbi autem nulla eſt ſpecies, apparitio nulla, nullumque ſchema, quod quandoque poſt variolas non invadat, nec ulla

eſt

eſt corporis pars a talis exitii periculo omnino libera, & prorſus immunis; hinc ſurditates, lippitudines, ophthalmiæ, fiſtulæ, ulcera, tumores, dolores omnis generis, ut & omnium generum nervoſi morbi &c. Nec porro alia ægritudo obſervatur, morbis ſuccedentibus perinde infamis, ac variolоſa puſtulatio, cujus ratio, ſumma omnis externæ internæque ſuperficiei labes fortaſſis. Obſervatur talis variolarum in alios morbos commutatio quibusdam temporibus frequentior & veluti epidemica, ut & forma & ſpecies morbi ſuccedentis. Habent illi morbi hoc proprium, non niſi morbo varioloſo jam exantlato comparere, & quandoque adeo tarde ſuccedere, ut vix probabile ſit, a variolis dudum emortuis hos ſuperſtites eſſe. Solet pro cauſa talium ægritudinum materies varioloſa in corpore reſtitans adcuſari, quam alii evacuare, alii ſpecificis antivarioloſis corrigere nituntur. Utrumque hoc aut hypotheticum eſt, aut empiricum. Ingens enim habetur horum morborum diverſitas, quam natura ſua præ ſeſe ferunt, unde curationis difficultas pendet. Nec porro æque manifeſta illius diverſitatis ratio eſt, ac formæ; quæ facile ex diverſitate locorum affectorum, & affectionis di-

verſa

verſa natura, intelligi poteſt. Quare jam in abditam illam & abſtruſam morborum variolarum poſthumorum naturam inquirendum, ut affuſa quadam illi luce, curationi feliciori aperiatur via.

Variolæ, febrilium morborum ſpecies, ad aliorum omnium exemplum, laborantem vel a morbi tædio ad ſanitatis tranquillitatem ducunt, vel ærumnarum requiem injungunt, vel denique novæ ægritudini occaſionem dant, & principia ſternunt. Habent porro & illud cum reliquis febrium ſpeciebus commune, criſi terminari, licet criſeos modus ſingularis & ſpecificus ſit. Raro denique febris varioloſa pura obſervatur, plerumque alteri febri nupta occurrit, vel ob conſtitutionem regnantem, vel ob cauſam corpori inhærentem; nec ſemper purum corpus corripit. Qui igitur de natura variolarum generali nimis ratiocinio concludit, quid huic ſit proprium, non cognoſcet: nec alter ſingularis amore tractus nimium, de iis quæ circa variolas poſſibilia ſunt, ob genericam morbi conditionem, certior fiet; & uterque horum a practica morborum ex variolis trahentium cognitione quam longiſſime aberrabit.

Experiundo conſtat, tunc denique febriles morbos ſui veſtigia relinquere, ſi morbi vires contra corporis virtutem potentius inſurgunt, ut adeo œconomia animalis jam non habeat arma, quibus irruentis hoſtis vim excipiat, oppugnet & avertat, aut ſaltem careat inſtrumentis, quibus ſpinam febrilem ex integro ſolvat, attenuet, moveat, ſecernat, penitusque expellat morborum medicatrix natura.

Eſt porro & aliud cauſæ genus adcurate conſiderandum, morborum deutropathicorum perinde fertilis fons, præeuntibus ægritudinibus excitatum quidem, nec tamen ex illis originem trahens. Contingit, morbos in aliud ægritudinum genus hoc morbo terminari, ſi morboſa quædam diſpoſitio dudum jam latens, præeuntis morbi tumultu & ſeditione in actum deducitur. Duplex hæc morboſa corporis conditio generalis, ut omnem ægritudinem poſthumam, ſic & diverſam poſt variolas valetudinem invitat; quare in hanc ipſam animo ſolicitiſſimo inquirere debet medentium quisque, cui civium ſalus & artis progreſſus cordi eſt, cavens, ſaltem ne noceat, dum prodeſſe nequit, quique abditis morborum cauſis rite

cog-

cognoſcendis, & genuinis morborum præſidiis detegendis ſtudet.

Febres ex integro non judicari ob virium defectum dixi; atque hæc potentiarum parantium, moventium, pellentium, penuria, quandoque vera, genuina abſoluta eſt, modo relate tantum ad ſuperbientis morbi gravitatem ſimilis debilitas locum habet, vel denique mere fictitia eſt: criſium errore, ob vires deficientes, abruptas & agere impeditas. Qui enim morbus teſte *Fernelio*, in corpus inciderit impurum, & vitioſum, diſtortos atque inopinatos progreſſus habebit a).

a) Therapeuti. univerſ. p. 381.

Inde de vanitate univerſalis horum morborum præſidii, atque de fatali neceſſitate diverſæ contra eos therapiæ luculentiſſime conſtat. Ante omnia igitur cognoſci oportet, & determinari, quæ fuerit præſentis morbi prægreſſa cauſa? an magnitudinis proxime elapſi, an debilitatis ſit ſoboles, aut captarum virium fortaſſis? quæve porro ea ſint illarum vincula, unde injecta? aut denique, quid illarum conditionum, quæque ad oblatam ægritudinem contulerint? quæ ejus ſit intenſio, natura, connubium? Hæc qui

minus

minus attendit, primæ medicinæ practicæ fulcra præterit, & genuinas morborum indicationes expiſcari non valens, in immenſam remediorum ſylvam ſeſe immittit cœco impetu latus; unde ſæpius inpingit, nec raro fallit, aut fallitur; modo hoc, illudve auxilii genus quaſi ſolum venditans, modo non tanti remedium, quanti morbum putans.

Febris varioloſa naturæ eſt paraſiticæ, ac caſtra epidemicæ graſſantis ſummopere amat, quod variolarum cum febre regnante connubium eas anomalas, malignas efficit, unde rurſus ſumma neceſſitas querendi de natura febris variolis nuptæ, ut & ob morbos ſuccedentes, qui non raro, ut jam dictum, prægreſſæ febris vehementiæ debentur.

Quiscunque igitur morbus variolas ſequitur & excipit anomalas ex nupta febre regnante, vel altera quavis vehementi, ſuccurrendum illi eſt ex idea febris prægreſſæ variolas comitantis a), præprimis ſi variolæ in corpus inciderint, cui & bona diſpoſitio & ſecunda ſemper fuit valetudo, viresque conſtantes; quæ cuncta ſimul & junctim perpenſa oblatæ valetudinis conditionem ex febre non varioloſa, ſed variolarum comite, trahere initia certo certius demonſtrant. Tandem ut in omni alia læſione, mala therapeia

rapeia mira morborum genera invitare ſolet; ſic & febris variolarum comes neglecta, aut male tractata fertiliſſima malorum fit ſcaturigo & fons fertiliſſimus; tuncque non ad variolas prægreſſas reſpiciendum, ſed unice & febris præeuntis, & commiſſi erroris & poſſibilium inde ſequelarum memores ſimus oportet.

a) Cf. Hippocrat. de affection. Sect. I. p. 383.

Solent nonnunquam morbo vel ſibi derelicto, vel inique aggreſſo, proſterni vires & labaſcere; ut talem corporis habitum alias morbum varioloſum præcedere incidit, quod ne quis cognoſcat, non eſt: cum & prægreſſa valetudo dubia, aut debilitans morbus diuturnus, ut & privata corporis conſtitutio præſens, vires deficere undique demonſtrent. Ut vero conſtantibus his, rite intueamur, quid illud fuerit earum exercitium impediens, oportet, non tantum in ægritudinem præſentem, aut variolis nuper junctam, inquiramus ſolicitiſſimi, ſed & in quæque morborum veluti futurorum ſemina. Sic e. g. pone infantem, cui ob teneram ætatem tenelli ſunt nervi & exquiſitiſſime ſentientes, en! convulſionem & omnis generis

neris morborum nervoſorum ſeminium & germen.

Aut alia cogita, cui undecunque animalitas obruta & obtuſa eſt; ne hic laborat ex quiete morbo, quamquam ad motuum impotentiam, ſummopere diſpoſitus; atque in utrumque hunc variolis nuper defunctum, earum reliquiæ incidere poſſunt; in illum, ob vires juſto potentius, in hunc, juſto languidius contra morbi nequitiem inſurgentes. Nimis activum vaſorum ſyſtema, & in contractionem nimis pronum, mananti materiæ viam præcludet, & veluti vinculis injectis in carceres conjiciet; atqui & nimis languere, nimisque parum ſentire, & inde pendens vaſorum conditio, ſtaſes invitat, ob defectum potentiæ humores adpulſos ultro pellere valentis. En! binos ad aſpectum, ſimiles morbos, natura genioque alieniſſimos!

Talis autem totius hominis in morbis contemplatio ſedula omnis generis nexus, mutuam effectuum dependentiam, cauſarum conſpirationem, mutuos ſucceſſus, translationem, & transformationem morborum in alios detegit & obſervat, unde cognoſcendis curandisque morbis inſignia accedunt & præſidia, & emolumenta, nec ulla ſimilitudo, aut fallacia medico ſedulo perquirenti

tum imponet, ullius morbi novi, qui tanquam ſoboles rediviva ex aliis ſubinde conſequitur & repullulat.

A plethora, vermibus, conditione hypochondriaca & hyſterica, humore acri, febris exlex, coctio impedita, criſis laborioſa, imperfecta, ſuppreſſa, per loca incongrua, metaſtatica, periculoſa, reconvaleſcentia difficilis, laborioſa, tarda, relapſus facilis, nervorum morbi.

Latentes morborum diſpoſitiones, præeuntibus aliis morbis in actum deduci novum non eſt, atque hæc ipſa morborum deuteropaticorum geneſis in dies prætervidetur. Prout enim de veritate talis morborum curriculi circa affectiones podagricas & febres intermittentes, quotidiana obſervatio abunde nos convincit, ſic quandoque de eadem in reliquis ægritudinibus conditione prudenter dubitari non poteſt. Teſtis eſt experientia & obſervatio multiplex, eaque caſta: dari quoddam venereæ luis ſeminium a parentibus tenello puſioni jam traditum, eique alte impreſſum, & in eo latens citra ullum ſui veſtigium, donec vel pubertatis tempore proritetur, vel accedente febre, vel alterante therapeia evolvatur maturum.

Ergo

Ergo & varioloſa febris crudum tale miasma aphrodiſiacum percoquere valet, & maturare, minimum evolvere, latens manifeſtare, quieſcens in actum deducere; ſicque continget, ut lues venerea variolis ſuccedat. En! uberrimum fontem diverſiſſimorum ad aſpectum morborum. Hinc tophi, nodi, exoſtoſes, caries variæ, ut & aliarum partium morbi diverſiſſimi, ex variolis pullulantes pertinaciſſimi, mercurio denique cedentes. Narrat Cl. *Home* hiſtoriam hominis aphrodiſiaca lue inquinati, cui & variolæ ſupervenere; fugata febre puſtulæ varioloſæ in ſcabiem ſiccam mutatæ ſunt; quæ ſalivatione denique, mercurio mota, perſanata eſt a).

a) Medizin. Beobachtungen und Verſuche. S. 77.

An vero prætervíſa talium morborum origo venerea quandoque errorem de ſpecifica virtute antivarioloſa in mercurio invitavit, aut præſentem confirmavit, publicique juris fecit?

At difficillimum ſemper erit cognitu, ſub larva & ſchemate poſthumi ex variolis morbi latere luem veneream; interim in inſignibus his tenebris nobis cæcutientibus proderit ſcientia de dubia parentum valetu-

dine, aut aperta & cognita labes venerea in his, morbi prægreſſi nulla manifeſta conditio talium ſequelarum adeo tetrarum, nec in morbo ipſo apparens tantæ pertinaciæ & malignitatis cauſa, ſymptomata denique comitantia, ut rheuma nocturnum, aut dolor oſteocopus nocturnus, vel tophi ſponte orientes, juſtam de venereo morbo ſuſpicionem movent, & recte mercurialium uſum indicant.

Cuncta hæc ſaltem noſſe juvat, cum eorum memoria nos ad veritatem perducat aliquando, ſemperque ab errore arcet.

Eadem prorſus ratione nonnunquam ſcrophuloſa materies latens, varioloſa ægritudine proritatur, unde morbus ipſe exlex fertur, & plerumque graviſſima ſui veſtigia in corpore ægri relinquit. Ut infantes genis & labiis roſeis ac facie tumidula a variolarum inſitione eximantur, ſcripſit Cl. *Tiſſot;* & de labe ſcrophuloſa timendum tum præprimis viſceribus abdominalibus inhærente.

An inde ratio lethalis ſigni Bagliviani a) in variolantibus Romæ? cruſta nempe phlogiſtica in ſanguine miſſo comparens, cum hæc & ſanguinem eorum tegere ſoleat, quibus obſtructa ſunt viſcera. Aſt & alius ejusdem

dem ſigni lethalis explicatus habetur, ſi ad conſtitutionem Romæ endemicam, gaſtricam nempe & meſentericam attendamus, & lethale harum febrium cum phlogiſticis connubium perpendamus. Scrophularum porro nomen unum, natura diverſiſſima eſt; nec conſtans hujus corruptelæ intra corpus conceptus & idea datur; modo enim ſolidorum laxitas pallore, laſſitudine, viribus, appetitu proſtratis nunciatur in ſcrophuloſa diatheſi; modo canalium eſt morbus obſtructorum, præcipue ad glandularum folliculos, & vaſorum minimorum anfractus, ob humorum tenacem naturam; vel denique eodem nomine inſignitur, acrimonia rodens exulcerans; atque ad triplicem hanc totius ſubſtantiæ labem juxta compellatam attentiſſimus ſit medentium quisque ad morbum ſcrophuloſum vocatus.

a) Opera omnia p. 61.

Hinc etiam practicorum lites de hujus morbi præſidiis, quamquam natura ſua alieniſſimis & oppoſitis componi poſſunt. Scitur autem, labem hanc cauſam eſſe reliquiarum poſt variolas, ex ſignis diatheſeos ſcrophuloſæ univerſalibus, ut & ex iis, quæ circa morbum oblatum præſentia contingunt;

ex quibus ſimul, quæ ſit ſcrophularum oblatarum conditio, aut quæ conditionum complicatio luculentiſſime conſtat, ut & maxime adcomodata medendi ratio. Proderunt autem roborantia, præcipue cortex peruvianus, quercinus, mars, frigus, motus; aut attenuantia: ſapo venetus, cicuta, extractum tuſſilaginis, aqua calcis, ſpongia, marina, ſal marinum, aqua marina, mercurius, pulvis alterans Plumeri &c., vel denique quidquid acrimonias diluere, obvolvere, eluere poteſt, auxilio erit. Nonnunquam vero notante *Fernelio* a) talis viſcerum labes, & eorum ſubſtantiæ corruptio, atque mira quædam ſimiles humores noxios coquendi proclivitas in iis perſtat, omni etiam hnmore noxio expurgato, nec manifeſto ſolidorum vitio præſente; idque præcipue contingit, ſi vitium primum aut grave, aut hæreditarium, aut conſumatum exiſtit: quod ſcire prognoſin cautam injungit, & recte tum ad alterantium uſum invitat.

a) Therapeu. univer. p. 380.

Subinde arthritica materies naturam, viſceraque a debito ſui penſo avertit; ſic *Ballonius* a) hiſtoriam narrat arthritidis regularis, a variolis in puero ex patre podagrico

grico nato reſiduæ; qui morbi ordo rarius incidit, cum puerilis ætas arthritidis anomaliæ faveat potiſſimum & miris ſub quibus hæc materia ludere amat fabulis; tumque ejus diagnoſis difficillima; ſed nec multi intereſt ſcire, quod acrimoniæ domeſticæ ſit nomen, modo cognoſcatur, tumque ad diluentia, obvolventia, eluentia indicat, ut & ad roborantia, ſcopo novam ejus geneſim prævertente. Unde conſtat in his potiſſimum caſibus antimonium & T. ejus alcoholizatam, ſuccini, decoctum lignorum, eſſentiam pimpinellæ a Cl. *Stahlio* b) præcipue dilaudatam, recte propinari.

a) Epid. i. I. p. 18.
b) Col. caſual. magn. I. p. 48.

Talis autem humoris acris abſconditi per febrim evolutio rationem ſuppeditat: quare dolores artuum lumborumque vagi, veluti rheumatici, aſſidui, graves in primo variolarum ſtadio, ebullitionis nempe, pravum plerumque variolarum genus prænuntient? ſunt enim commotæ acrimoniæ indicium. Inde porro etiam intelligitur, qui fiat, ut vel benigniſſimæ variolæ ſubinde a naturali tramite repente aberrent, in malignas a cauſa vix detegenda converſæ; ut &

quando paregoricorum uſus funeſtam hanc mutationem præpediat? quem in finem a Cl. *de Haen* a) opiata ſummopere commendantur.

a) Rat. med. P. II. p. 52.

Præter febrim variolarum comitem individuum & generalem, atque generales ejus ſequelas, variolis ſingularis eſt cutis pruritus, & ex futurarum puſtularum inflammatione neceſſario oriundus dolor, unde ad irritabilitatis imperium, quo partim & circulationis territorium externa lege gubernatur, humores eo copioſius ruunt, quo irritans ſtimulus eos curatius allicit. Hinc humorum ad corporis ſuperficiem collectio, eorumque ſtagnatio, aut non ſufficienter motorum diſcraſia, alienatio, corruptela, & ex errono eorum ad interanea recurſu plurimi morbi cacochimi ex acrimonia potiſſimum. Eodem prorſus modo metaſtaſes poſt morbillos contingunt, recte ideo puriformes, licet circa ipſum exanthema nil talis humoris obſervetur a).

a) Selle. rudi. pyret. p. 170.

Sedes malorum & morborum omnium poſt variolas eadem eſt cum communi, intra par-

partem nempe affectam poſita, aut ab hac ſemota, unde multæ ex febribus ægritudines ſoli conſenſui ex abdomine debentur; hæcque potiſſimum nervoſis morbis origo eſt a). quodſi autem quis quærat, quænam ſit cauſa, quare præ reliquis partibus una gravius afficiatur? reſpondeo: a diſpoſitione interna partis ipſius ægritudini præcipue favente, hanc invitari; neque ſolam partis debilitatem id præſtare, quamquam hoc, quod degimus ſeculo, latentem illam diſpoſitionem generali debilitatis nomine inſignire perperam ex uſu ſit.

a) Brendel. opuſc. P. III. p. 92.

Cum itaque varia ſit origo & natura morborum poſthumorum, varia etiam illis medendi methodus convenit:

Prima methodus antiinflammatoria, morbis medetur variolarum poſthumis, ſi febris illis jungeretur inflammatoria valida, aut ſi inciderent in corpus juvenile, pancreatice antea ſemper valens, aut ſi morbi ſuborti genium ad ſanguinis ventilationem indicat a).

a) Cf. Sydenh. Op. T. I. p. 98.

Secunda methodus antigaſtrica, in morbis ex variolis bilioſis, pituitoſis, gaſtricis; debitis aut ſufficientibus per alvum, osve evacuationibus neglectis; aut viſceribus imi ventris obſtructis, morboque ita diſpoſito, ut alvi ductione materies derivari poſſit obſtruens, vel alio modo affligens.

Tertia methodus tonica locum habet, ubi virium defectus, ſolidorum laxitas criſeos imperfectionem induxit; in morbis nervoſis cum ſolidorum laxitate, aut a tanta nervorum eumetapleſia, ut a ſtimulis imaterialibus provincia nervoſa rebellatrix efficiatur, in morbis periodicis ſine labe gaſtrica.

Quarta methodus diaphoretica, diuretica, attenuans, ſolvens ad ductum generalis indicationum doctrinæ adminiſtrari ſolent.

Quinta methodus nervina proprie convenit in nervorum malis, poſtquam venis, ventriculo, abdomini, alvo jam proſpectum, & morbus ex conſuetudine in naturam vertit, ad tollendum morboſum characterem nervis impreſſum.

Sexta methodus ſpecifica pro diverſitate mali reſidui, & ejus cauſa celebranda: anthelmintica, antivenerea, antiſcrophuloſa, antiarthritica &c. An hic mercurialium quoque commemorandum tanquam ſpecificorum anti-

antivarioloſorum? Non videtur, cum ſi juxta *Poterii* a), & *Etmüllerii* b) obſervata ratiocinari licet, mercurius varioloſam puſtulationem præcaveat, febri in genere adverſando c)."

a) Cf. ejus lib. I. Cap. 15.
b) Oper. om. p. 217.
c) De Sallaba Libr. c. p. 61.

MORBILLI.

Alterum genus morborum febrilium intercurrentium *morbilli* conſtituunt; ætatem puerilem præcipue infeſtant; epidemico more plerumque communicatur miasma morbilloſum, etſi etiam ſporadice morbus hic occurrat.

Unica vice per vitam homo morbillis laborat; rariſſima ſaltem ſunt exempla hominum a morbillis binis vicibus laborantium. Facilis enim eſt erroris occaſio, cum etiam morbilli ſpurii obſerventur, qui intra paucos dies decurrunt, neque, ut veri morbilli, deſquammatione finiuntur a). Morbillos Arabes, qui affectus ſine dubio ejusdem ætatis eſt, neque incongrue ab *Avicenna* dicitur variola cholerica, vitium adeo cognatum variolis cenſent, ut plerumque

de

de his duobus ſimul agant, quaſi minor majore comprehenſus eſſet b).

a) Vogel med. Handbuch. 3. Th. p. 205.
b) Freind. Hiſt. med. in Op. om. ed. Paris. p. 275.

Sub initio Januarii morbilli plerumque ingrediuntur, atque in dies magis invaleſcunt, donec inſtante verno æquinoctio ακμην adepti, exinde iisdem gradibus imminuuntur, tandem Julio ſequente penitus exſtinguuntur. Talis erat epidemiæ morbilloſæ anno 1670 a *Sydenhamo* deſcriptæ decurſus, atque nunc etiam ita fieri ſolet; etſi aliis etiam anni temporibus oriri morbillos ſubinde obſervatum ſit.

Stadia morbillorum.

Triplex morbillorum ſtadium diſtinquitur. Primum ſtadium eſt *contagii*, quod ſequenti modo a *Sydenhamo* deſcribitur. A rigore atque horrore, caloriſque & frigoris, quæ ſe mutuo primo die expellunt, inæqualitate tragœdiam ordiar; tandem effulgente ſecunda die in febrem conſummatam deſinit, vehementi ægritudine, ſiti, inadpetentia, lingua alba, non vero ſicca, tuſſicula, capitis atque oculorum gravedine, & ſomnolen-

lentia perpetua ſtipatam. Plerumque etiam e naribus atque oculis ſtillat humor; atque hujusmodi lachrymarum in oculos effuſio certiſſimum eſt ſignum morbillorum ingruentium. Sternutat æger, tanquam a ſuſcepto frigore; intumeſcunt palpebræ, vomit; ſæpius tamen laborat diarrhæa cum dejectionibus coloris ſubviridis; dentientibus autem maxime id convenit. Infantes etiam per hunc morbum ſolito ſunt moroſiores a).

Subinde obſervatis licet hisce ſignis præcurſoribus, nulli tamen morbilli perſiſtunt; id eſt: datur febris *morbilloſa absque morbillis*. Id anno 1785 obſervavit Celeb. *Vogel* b). Maculæ enim morbilloſæ ſæpe intra 24 horas, atque etiam citius, diſparuerunt. In Infante quodam maculæ morbilloſæ longioribus intervallis ſæpius comparuerunt, mox iterum diflatæ.

a) Sydenh. Op. Ed. Lugd. p. 196.
b) Cel. Vogel L. c. p. 191.

Ingraveſcunt utplurimum ſymptomata ad *quartum* usque diem, quo tempore plerumque (licet ad diem quintum aliquando differantur) circa frontem & reliquam faciem maculæ parvæ, rubræ, pulicum morſibus perſimiles, prodire incipiunt, quæ tam

nume-

numero, quam magnitudine auctæ, racematim coaleſcunt, & faciem maculis rubris majuſculis, variæ figuræ interſtinquunt. Quæ quidem maculæ rubræ, e parvulis quibusdam papulis rubris, ſupra cutis ſuperficiem paulum elevatis conſtant, quarum protuberantia, digito leviter admoto, tactu poteſt deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat. A facie, quam primo ſolam occupant, ſenſim ad pectus ventremque, crura deinde ac tibias diffundunt hæ maculæ: licet truncum atque artus rubore inficiant tantum, nulla eminentia ſenſibili cutis æquabilitatem transgreſſæ.

Eruptione morbillorum non perinde deliniuntur ſymptomata, atque variolarum. Vomitum tamen poſt eruptionem nunquam obſervavit *Sydenhamus*. Tuſſicula nihilominus febrisque intenduntur, cum ſpirandi difficultate, oculorum debilitate, defluxioneque in eosdem decumbente, ſomnolentia perpetua, atque inadpetentia, uti prius perſeverantibus. Die ſexto, aut circiter frons & facies aſpereſcunt, emorientibus puſtulis, ruptaque cuticula, & per id temporis maculæ per reliquum corpus & latiſſimæ ſunt, & maxime rubeſcunt. Octavo circiter die, & vix in reliquo corpore cernuntur,

tur. Nono vero nullæ ſunt prorſus, facie atque artubus, quandoque & toto corpore, quaſi farina conſperſis, particulis ſcilicet diſruptæ cuticulæ paulum elevatis & vix cohærentibus, quæ morbo jam abutiriunte in fruſta diſtrahitur, & poſtea a toto corpore ſquammularum forma decidit.

Evaneſcunt itaque morbilli die fere octavo, quo tempore vulgus (a ſpatio, quo perdurare ſolent variolæ, deceptum) eosdem introverti adfirmat, licet re vera illi curſum a natura deſtinatum abſolverint; & ſymptomata, quæ iisdem recedentibus ſuperveniunt, ex eo nata autumat, quod juſto citius ſe intro *morbilli* receperint. Obſervare enim eſt, febrem atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importunius urgere tuſſiculam, ita, ut nec interdiu, neque etiam noctu fere, ſomnus poſſit obrepere. Infantes, præſertim ſub regimine calidiori, aut qui calidioribus uſi ſunt medicamentis, ad promovendam morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxii, quod morbillis faceſſentibus ſe oſtendit. Unde in peripneumoniam conjiciuntur, quæ plures jugulat, quam aut variolæ ipſæ, aut ſymptoma quodcunque ad eum ſpectans morbum; licet omni prorſus periculo vacent morbilli, ſi modo perite

perite tractentur. His etiam non raro accidit *diarrhœa*, quæ vel morbum ſtatim excipit, vel etiam ad plures ſeptimanas excurrit poſt morbi, omniumque ejusdem ſymptomatum fugam: haud ſine magno ægri diſcrimine, in quo abhinc orta ſpirituum profuſione continua, verſatur. Aliquando etiam poſt regimen intenſe calidum exanthemata liveſcunt primo, mox nigreſcunt: id vero *Adultis* tantum contingit, de quibus conclamatum eſt, ubi primo nigredo iſta conſpicitur, niſi phlebotomia & temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubvenitur a)."

a) Sydenh. Libr. c. p. 197.

Prognoſis.

1) Præmatura eruptio, ante quartum ſcilicet diem, morbi orituri vehementiam notat; etſi retardata etiam eruptio, ultra quartum diem protenſa infauſti ominis ſit; utrumque enim anomalum eſt.

2) Subitanea retroceſſio exanthematum cum delirio, phrenitidem ab acri morbilloſo ad encephalon depoſito, ſignificat.

3) Ni-

3) Nimia macularum rubedo inflammationis vehementiam; earum livor gangrænam notat.

4) Methodus calefaciens, alexipharmaca maculas lividas, tandem nigras efficit; inducta nempe gangræna.

5) Vomitus poſt eruptionem perſeverans ſignum eſt acrimoniæ morbilloſæ ad ventriculum hærente, & inde orta gaſtritide.

6) Febris die nono, aut ſerius etiam aucta, mala eſt, cum acre morbilloſum ad pulmones depoſitum, & ortam inde peripneumoniam ſignificet.

7) Tuſſiculoſa thoracis conditio poſt morbum latentis peripneumoniæ ab eadem acri materie ortæ ſignum eſt; unde non raro phthiſis immedicabilis oritur.

8) Ob hanc latentem peripneumoniam, aut non cognitam, aut male tractatam, plurima ſunt a morbillis funera.

9) Atque ii plurimum mulctantur ab hoc morbo, quibus thorax male diſpoſitus eſt; & manifeſta in phthiſin proclivitas.

Methodus medendi.

Inflammatoria morbillorum indoles generoſam antiphlogiſticam methodum ſibi poſcit;

ſcit, atque talia remedia, quibus anginæ inflammatoriæ, atque peripneumoniæ occurrimus, atque pulmonibus præcipue proſpiciendum eſt. Venæ ſectio febris inflammatoriæ & vitii peripneumonici magnitudini reſpondeat. Potus ſit multus, emolliens, tepidus, qualis in omni inflammatione adhibetur. Vapores tepidi ore hauriantur. Æger ceteroquin in lecto in aëre tepido humidoque, ſecus ac in variolis contineatur.

At in omni morbillorum cura maxima febris corregentis, ſeu ſtationariæ, ſeu annuæ ratio habenda eſt. Ita enim bilioſam ſubinde febrim, aut pituitoſam febrim morbillis ſociatam videmus, unde varia hujus morbi anomalia, variaque medendi methodus emergit. Ipſum *Stollium* audiamus:

„ Quemadmodum variolis, ita etiam morbillis inſidiatur æſtiva febris, morbumque efficit complicatum, quem, qui ſincerum, atque impermixtum exiſtimaſſet, morbillos apellaſſet anomalos, atque etiam malignos. Verum quod alienum a benigno morbillorum ingenio erat, id totum debebatur admiſtæ febri, cui omnibus idcirco adminiculis artis obnitebamur.

Morbilloſos complures curavimus ab exitu veris in adultam usque æſtatem, quos omnes

nes ad unum binis eodem tempore morbis affectos vidimus, uno videlicet morbilloſo, atque altero diſtincto ac populari.

Quidam multis ante diebus, quam præ-nuncia morbillorum ſymptomata obſervarentur, ructare aliena cœpere, vomiturire, pectore, & ſummo ventre angi, leviculo, frequentique horrore perſtringi, urique caloribus nocturnis, ac ſudatiunculas, & temulentiam, atque aurium tinnitum pati. His alvus aut clauſa perſiſtit; aut pauca, pinguia, olidiſſimaque reddidit.

Aliis hæc eadem incommoda eodem ſimul tempore acceſſiſſe videbantur, quo morbilloſum miasma ſua ſeſe peculiari, ac ſpecifica febre prodidit.

Non paucos initio ſola ægrotare morbilloſa febre vidimus, at ſerius etiam populari.

En exemplum morbillorum cum febre bilioſo-pituitoſa miliari.

Juvencula 21 annorum, pauca quædam variolarum, quas olim pertulit, veſtigia referens, die 10. Junii 1777 noſtram opem expetiit.

Catamenia omni altera, vel & tertia ſeptimana ab aliquot jam annis redeunt, & largo fonte.

Annus eſt, ex quo fluorem album perfert, ferme aſſiduum, & erodentem. Is initio, quo primum viſus eſt, mox cum acredine venit, & mictu dolente: albida ſemper materies fuit, nunquam vireſcens, nunquam flava, aut ex utraque commixta. Cæterum ſana.

Die 5. Junii veſperi febre corripitur; nox inquieta.

6. Jun. febris, cephalalgia, coryza, ardor oculorum, anorexia, & oris amaror ægram tenuit. Pectore oppreſſo erat, & præcordiis quaſi faſcia injecta conſtrictis, ac tuſſiculoſa. Venter nil reddidit. Noctu vigiliæ, multusque ſudor.

7. & 8. Jun. omnia intenſiora. Multus oris amaror. Hucusque obambulans ægrotabat.

9. pejus habuit; decubuit. Venæ ſectio. Noctu copioſos inter ſudores exanthemata prodiere morbilloſa miliaribus rubris commixta.

10. Jun. in noſocomium recepta pulſus fortes, celeres, & plenos exhibuit. Faciem & artus ſuperiores levis tumor tenuit. Calor urens. Paucus ex naribus ſanguis ſtillabat. Os amarum, lingua bilioſa, & aſſumptorum alienus ſapor. Pectus oppreſſum, &

tuſſi-

tuſſicula frequens. Præcordia non ſine multa moleſtia contrectabantur. Alvus moroſa.

Cum eo die potu multo & refrigerante uteretur, veſpere ſponte vomuit amara, flavo-viridia, pituitoſa, perquam multa. Sera veſpera emeticum propinabatur, quod ſalubri naturæ conatui ſuppetias ferret. Vomuit inde denuo æque multa ac ante, atque indolis ejusdem. Dejecit ſæpius. Nox inquieta.

11. Jun. ſub auroram ſemel ſponte vomit. Febris multo mitior: lingua hirſuta, mucoſa, ex albo flaveſcens: pectus non emendabatur. Tuſſis inanis, crebra: cardialgia inter tuſſiendum, & ad attactum. Veſperi ſponte bilem multam multæ commiſtæ pituitæ revomuit. Miliaria diſparuere. Cutis anſerina, morbilli pallent, & fugam meditantur. Fauces prærubræ ſunt, dolent absque tumore. Sitis, febris; alvus undecies mota.

12. Morbilli nullibi jam, niſi in brachiis, iique pallidiſſimi. Brachii dextri lata quædam plaga quaſi ſucco ribeſiorum illita, & intenſe rubens. Tuſſis rarior, mitior, minusque dolens: vix ulla cardialgia. Lingua flaveſcens: ſapor bonus, urinæ ſanorum. Sitis nulla, febris pauca: alvus multoties mota.

13. Febris nulla. Ventriculus & pectus emendata.

14. 15. 16. apyretos. Reconvaleſcere viſa eſt. Tuſſicula rara.

17. Jun. ſæpius tuſſitavit, per vices incaluit; ſitivit; lingua impurior.

18. Ad heſterna ſymptomata vomendi conatus acceſſit. Lingua ſordidior. Os muco redundans. Potus multi ſolitique eo die propinabantur, ut apte evacuari ſoluta poſtmodum illuvies poſſit.

19. Jun. exhibito emetico multa millioſa revomuit. Febris poſt emeſin vix ulla; at veſperi frigus, calor, ſudor.

20. Jun. absque febre eſt. Hucusque ſolis ſolventibus, ſalinis, & emeto-catharſi utebatur.

21. Jun. febre caret. Hoc die cortex peruvianus adjecto ſale medio exhibebatur, ut, quod alieni reſtiterat, id ope remedii roborantis ſubigeretur.

23. Jun. os amarum denuo: ructus amari, febricula. Dato emetico multam pituitam evomuit. Levamen. Mixturam poſtea ex ſale ammoniaco, aqua ſimplici, & ſaccharo confectam per intervalla hauſit.

24. Jun. mane ſponte multa pituitoſa vomuit cum multo levamine. Febris nulla.

25.

25. Jun. corticis peruviani decocto, adjecto oxymelle, & pauco ſale medio, & reſiduam diſſolvere materiam intendebamus, & corpus laxum corroborare, ac gaſtricæ imprimis œconomiæ proſpicere, ne nova ulterius generari pituita queat.

Protracto horum uſu & præſens morbus, & prava corporis prædiſpoſitio tollebatur.

Fœminas morbilloſas hoc anno plures habuimus, atque eas præ cæteris laxas, & pituitoſas; viros vero perpaucos. At neminem, mas, fœminave fuerit, morbillis correptum vidimus, quem febris ejusdem tempeſtatisললbilioſa, pituitoſa, aut ex utraque conflata inſalutatum præteriiſſet. Eam febrem fere ſolam perſequebamur, & non perfunctorie. Hinc nullo non tempore morbillorum emeticum exhibebatur, ſi id poſceret morbus complicatus; nec eorundem idcirco introverſio, aut ulla anomalia obſervabatur.

Morbilloſos hyeme ſicca, & veris initio ſanavi in Hungaria non paucos. At cum eo tempore inflammatio dominatum exercet, pleuritis, & peripneumonia præ cæteris, facilis erat morbillorum cum inflammatione conjunctio, & frequens. Inde ſanguis cum

emolumento, & iterato, & quovis morbi tempore detrahebatur, magnaque remediorum emollientium utilitas fuit.

Hæc febrium variarum cum morbillis conjunctio non obſervata hunc morbum abnormem ſubinde fecit, pertinacem, malignum a).

a) Stoll. rat. med. Tom. II. p. 249.

His abſolutis jam cura ſymptomatum exponenda venit, quæ fere eandem curam, ac febris cum morbillis complicata, poſtulant; cum vix unquam ſymptoma obſervetur, quod cauſam morbi principis non agnoſcat.

Præcipua & maxime occurrentia ſymptomata morbillantium ſunt: acre ſtillicidium oculorum, hæmorrhagia narium, angina, tuſſis, vomitus, diarrhæa, convulſiones. De ſingulis jam ſeorſim agetur.

Acre ſtillicidium oculorum morbillantibus imprimis moleſtum poſtulat, ut acrimonia enervetur, eluaturque, quod fit collyrio tepido mucilaginoſo ex decocto althææ cum lacte, vel lacte ſolo, vel mucilagine ſeminum cydoniorum aqua ſambuci extracta; cum vero his tanta ſit ſenſilitas oculorum, oportet radios lucis impedire. Si

autem

autem vel ab acrimonia, vel ab impetu humorum verſus oculos pulſorum ophthalmia ſubnaſceretur, tum præter collyria tepida mucilaginoſa hirudines temporibus applicandæ ſunt, ne malum chronicum vix emendabile oriatur. Concretio palpebrarum tenaci ſmegmate glandularum effecta facile tollitur frequenti irroratione aquæ tepidæ.

Hæmorrhagia narium præſertim in complicatione febris inflammatoriæ non eſt ſiſtenda, niſi nimia foret, nam inde nimia ſanguinis copia ductu naturæ demitur, & cephalalgia, dolor oculorum, & angina aut remittunt, aut penitus evaneſcunt; ſufficit, ut æger erecto capite quietus in lecto ſedeat, quo ſponte iterum ceſſat. Si vero hæmorrhagia nimium profuſa eſſet, quod cognoſcitur ex pallore labiorum & faciei, atque imminutione caloris extremitatum, tunc æger erectus & quietus ſit, aquam frigidam cum ſucco citri, vel ſpiritu vitrioli ſaccharo edulcoratam bibat; hoc nondum ſufficiente applicetur fungus agaricus, vel intrudatur turunda aqua vitriolata, vel aluminoſa imbuta, vel apponantur linteamenta aceto frigido impregnata fronti, & nuchæ; monente Illuſt. *van Swieten* etiam regioni pubis. Si in libra dimidia aceti uncia una

ſacchari ſaturni ſolvatur, linteamentaque hac ſolutione impregnata pectori applicata toties renoventur, quoties incaleſcant, brevi egregius effectus obtinetur. *Allen.* Hæmorrhagia in febri putrida aut maligna obſervata mali ominis eſt, & non ſolum methodum ſumme antiſepticam, verum etiam ſopita calefacientem interne æque, ac externe adhibendam expoſcit.

Angina plerumque medicamentis curæ principis tollitur, hoc ſolum addito, ut etiam topice applicentur. Angina inflammatoria pacatur venæ ſectione, gargariſmatibus emollientibus mucilaginoſis, vapore aquæ tepidæ, vel etiam lactis. Si vero inflammatio pertinax, diuque jam durans his non cederet medicamentis, ſignum eſt, fibras tonum amiſiſſe, quo in caſu veſicans nuchæ vel toti collo applicatum egregium præſtat effectum. Angina gangrænoſa, quæ cognoſcitur ex febris putridæ, vel malignæ conſtitutione, requirit gargariſmata antiſeptica, immo calefacientia ex ruta, ſcordio, marrubio, arnica, ſerpentaria virginiana, camphora. Angina slilioſa curatur, ſi præmiſſis ſolventibus primæ viæ repurgentur per emeſin vel catharſin, repurgatis primis viis ma-

teriam

teriam morboſam faucibus fixius inhærentem avocabit veſicans.

Tuſſis per totum morbi decurſum morbillantes excruciat, quæ ab acri ſtillicidio lymphatico ortum ducit. Si ante eruptionem jam vehemens eſt, tunc huic ſollicite proſpiciendum decoctis emollientibus & linctibus municilaginoſis, etiam oleoſis, ut acrimonia involvatur, enerveturque, quare linctus ſuperius commemoratus, vel mucilago gummi arabici cum ſyrupo convenienti bono cum effectu exhibentur. Si pertinax ſit & quaſi convulſiva, conveniunt etiam diacodiata, ſed hæc tantum bis per diem ſunt porrigenda, ne cura febris perturbetur. Non raro tempore exareſcentiæ continuat, & diarrhæa ſponte orta vel leni purgante eccoprotico etiam repetito evaneſcit; ſi vero tunc temporis augetur, reſpiratio difficilior evadit, & oppreſſio pectoris obſervetur, cum intenſione febris, ſignum eſt, materiem morbilloſam pulmones petiiſſe, quo in caſu venæ ſectio & potus emollientes, vapor aquæ tepidæ laudantur; fracta febri applicetur veſicans, ut materies a pulmonibus avocetur.

Vomitus ſpontaneus ante eruptionem morbillorum; ſi etiam cum febri inflammatoria

toria contingat, ſemper ſalutaris, ante excitatus ſummopere eſt damnandus; ſufficit in hoc caſu, ut aqua tepida mellita faciliteтur. Si vero cum febri biliofa vel putrida ſaburrali coincidat, tunc præmiſſis ſolventibus ſæpius eſt excitandus, ut ſaburra eliminetur, quod fit duobus vel tribus granis ipecacuanhæ. Salutaris quoque eſt, ſi tempore exareſcentiæ contingat, quo ſæpe totus morbus cum omnibus ſymptomatibus tollitur. Si vero nimius eſſet, vel poſt eruptionem continuaret, qui ſtatus malignitatem denotat, tunc ſopiri debet præparatis menthæ, opiatis interne & externe adhibitis.

Diarrhæa variam quoque agnoſcit curam. Cum febri inflammatoria, venæ ſectione, decoctis & clysmatibus tepidis emollientibus & emulſis tollitur; ſi cum febri biliofa ægrum corripiat, præmiſſis ſolventibus, emeticis, vel purgantibus curatur. Si vero nimis profuſa, & vires ſummopere proſternens eſſet, præcipue in ſecundo ſtadio, tunc præter indicatam methodum opium exhibeatur parce & partitis doſibus, ad fluxum minuendum potius, quam ſiſtendum; nam diarrhæa multum materiei morbilloſæ vel ſaburralis primis viis inhærentis ſecum abripit, in tertio ſtadio evacuatio hæc

cri-

critica eſt, nec ſiſtenda, niſi ægrum nimis debilitaret.

Convulſiones ratione cauſæ ſunt curandæ; a plethora, vel inflammatoria diatheſi ortæ venæ ſectionibus & clysmatibus emollientibus ſæpius repetitis ſopiuntur. Si ſaburra primarum viarum has cauſſet, vomitus vel diarrhæa, qua ſaburra ejicitur, excitata hoc ſymptoma fugabit. Si ab irribilitate nimia, cum virus morbilloſum æque ac varioloſum nervos infeſtet, oriantur, opium indicatiſſimum erit remedium, quo brevi ſopientur.

Retroceſſio, vel pallor, vel tardior eruptio morbillorum oritur plerumque a viribus vitæ languentibus, quo in caſu excitantia, & materiem morbilloſam ad cutem expellentia, ne alia mala periculoſa inde oriantur, exhibenda ſunt. Emulſum camphoratum boum præſtat effectum. Si hoc remedium inſufficiens eſſet, proderit emulſo duo, vel tria grana moſchi addere, veſicans applicare, & decocta tepida, methodo accommodata porrigere frequenter. In hoc caſu laudatur etiam laudanum liquidum *Sydenhami* veſperi exhibendum. Si materies nimis tenax eſſet, & exitum his adhibitis non quæreret, proderit, ſex grana ſulphuris

ris aurati antimonii tertiæ præcipitationis cum oxymelle ſquillitico propinare, & clysmata antiſeptica injicere. Sæpe terror, metus, refrigeratio cauſa retroceſſionis eſt, ubi mox lenia diaphoretica, mox opium, mox emulſum camphoratum morbillos expellit, quemadmodum febris complicata expoſcit. Si vermes hæc incommoda cauſſarent, oportet purgans anthelminticum propinare, & poſtea methodum indicatam rurſus continuare, niſi alia contraindicantia adſint, quare ſi ſuſpicio vermium adeſt, ante eruptionem tale purgans propinandum eſt. Quando nimia plethora eruptionem impedit, venæ ſectio & diaphoretica antiphlogiſtica expulſionem promovebunt.

Morbilli ſæpenumero alios in morbos abeunt, quorum præcipui ſunt: Phthiſis, Hydrops anaſarca, Tumores ſtrumoſi, Ophthalmia chronica.

Phthiſis cum ratione cauſæ ſit varia, variam quoque curam expoſtulat. Inflammatio chronica, vel pleuritis latens, unde phthiſis ſæpe oritur, requirit parcas, & iteratas venæ ſectiones, diætam mere vegetabilem, & apparatum antiphlogiſticum. Diæta lactea ſcopo nutriente, acrimoniam involvente, ſanguinemque incraſſante in phthiſi

adhi-

adhibetur. Sæpe cortex peruvianus debilitatis vaſis pulmonalibus, & laxitati univerſali ſanitatem reconciliat. Serum lactis, aquæ ſelteranæ aliaque ſolventia in diatheſi ſcrophuloſa, & infarctu glandularum conveniunt, ut ex doctrina phthiſeos conſtat.

Hydrops ex morbillis orta, cum laxitas hoc morbo inducta cauſa ſit, præmiſſis purgantibus vel diureticis, prout ægri conditio fert, ut virus morbilloſum probe eliminetur, curatur roborantibus.

Tumores ſtrumoſi, ſolventibus & reſolventibus interpolatis ſæpius purgantibus tolluntur. Notandum vero, curam a leniſſimis ſolventibus eſſe inchoandam, ne fortioribus ſtatim adhibitis ob ſtimulum inflammatio cauſſetur.

Ophthalmia, quamdiu dolor & rubedo poſt morbillos remanet, requirit cataplasmata emollientia & hirudines temporibus applicatæ, ſi dolor remiſerit, veſicantia & diſcutientia interpoſitis ſæpius purgantibus rubedinem dispellent; ſi vero neque hæc juverint, ſignum eſt, rubedinem ex laxitate remanſiſſe, quo in caſu roborantia interne adhibita, & adſtringentia ex ſolutione vitrioli vel aceto lithargyrii applicata curam abſolvent.

Ano-

Anomalia morbillorum ex ſequentibus petitur. 1mo Si eruptio ſerius fiat, quam in benignis die ſcilicet quinto, ſexto, ſeptimo; licet tardior eruptio non adeo periculoſa ſit, quam illa juxta *Sydenham*, quæ ocyus ante tertium diem contingit. 2do Si gravia ſint tum præludii, tum eruptionis ſymptomata. 3tio Si exanthemata non primo in facie, ſed in humeris, & trunco incipiant erumpere. 4to Si maculæ ſtatim ab initio ſint pallidæ. 5to Si ſequelæ ſint periculoſiores. 6to Si ſymptomata ſint gravem morbum præſagientia ante eruptionem, ut rigor, oſcillatio, pandiculatio, ſumma virium proſtratio, vomitus, jactitatio inquieta, vertigo, cephalalgia, lumbago, pulſus frequens, ſed exilis, reſpiratio frequens, brevis, laborioſa, hypochondriorum oppreſſio, retractio, urinæ pallidæ, ſopor, ſubſultus tendinum, ſpaſmi, deliria cum oculorum rubedine, puncturaque cutis dolorifica, angina cum raucedine clangoſa, tuſſis moleſta, ferina cum ſuffocationis periculo, ſi maculæ nigreſcant. 7mo Si papulæ in farinam non abeant.

Eventus hujus anomaliæ ſane triſtis, cum funera funeribus cumulentur, ſæpe via ſternatur ad morbos periculoſiſſimos, ut inflamma-

matio-

mationem malignam, diarrhæam colliquativam, anginam gangrænoſam, anaſarcam hydropem, ophthalmiam, phthiſin &c. a)."

a) Leithner. Diſſ. de morbill. Viennæ 1783. p. 39.

Inſitio morbillorum.

Cum morbilli certis anni temporibus, & mitioribus etiam conſtitutionibus multis hominibus mortem inferant, atque pulmonibus præcipue oculisque inſidientur, celeberrimus Scotiæ medicus *Franciſcus Home*, cum anno 1758 morbus hic *Edinburgi* epidemice graſſaretur, de inſerendo miasmate morbilloſo conſilium cepit; eo argumento potiſſimum ductus, quod tuſſim in morbilloſis hominibus moleſtiſſimam, atque ab acri ſpecifico ad pulmones delato excitatam, longe mitiorem exſpectaret, ſi miasma morbilloſum per cutis ſuperficiem, non autem illico per pulmones corpori communicaretur.

Ad propagandum miasma ipſo ægri morbillis infecti ſanguine utebatur; levi nempe facta cutis inciſione intra morbillos plurimum elatos, profluentes ſanguinis guttulas goſſypio excepit. Inciſione dein cruenta in utroque brachio inoculandi hominis, ut in variolarum inſitione ſolent quidam inoculato-

res, atque ſanguine per quadrantem horæ ex vulnuſculo ſtillante, goſſypium tandem miasmate morbilloſo impraegnatum impoſuit, ne profluens ſanguis venenum aut ablueret, aut nimium dilueret. Goſſypium per triduum in vulnuſculo continebatur.

Die 6—7 ab inſitione ægrotare incipiebant infantes, atque die nona morbillorum eruptio ſequebatur. Die 14. morbillorum exſiccatio; atque ægri ſanabantur.

Ex inſtituto in 13 infantibus inſitionis experimento, ſequentia corollaria auctor deducit:

1) Sanguis ex homine morbillis infecto deſumptum, ſufficientem quantitatem veneni morbilloſi continet, quo alii etiam homines morbillis inficiuntur. In aura libera mox, imo etiam in lagena probe clauſa poſt 5 ſeptimanas, venenum hoc difflatur.

2) Die plerumque ſexta ab inſitione morbus incipit; citius itaque, & typo magis regulari, ac variolæ. Primus morbi inſultus veſperi plerumque ingruit, cum ægri interdiu optime ſe habuiſſent.

3) Morbilli inſiti naturalibus multum mitiores. Non enim febris tantum levior, ſed tuſſis etiam mitior ac in naturalibus obſervatur.

4) Sym-

4) Symptomatum morbi eſſentialium, ſtillicidii nempe humoris acris ex oculis, & ſternutationis, eadem eſt vehementia, ac in morbillis naturalibus.

5) Tuſſis autem, quod maxime mirum eſt, indivulſus fere morbillorum naturalium comes, ægros morbillis artificialibus laborantes vix unquàm vexat.

6) Morbilli artificiales criticam plerumque diarrhœam ſibi junctam habent, ut etiam in naturalibus fieri ſolet; ab acri nempe morbilloſo ad inteſtina depoſito.

7) Morbo hocce artificiali infans tinea & ſcabie a tribus jam menſibus laborans, perfecte ab his morbis ſanabatur.

8) Vulnuſcula, ubi inſitio facta eſt, febre eruptionis exorta, non inflammantur & ſuppurant, ut in variolis contingit.

SCARLATINA.

Tertium nunc morborum febrilium *intercurrentium* genus, febrem nempe *ſcarlatinam*, explicabimus, in qua rite dignoſcenda atque feliciter perſananda, noſtris ævi medicis grata quondam poſteritas plurimum debebit. *Storchius* a), *Navierius* b), *Haenius* c), *Plencitzius* d), *Roſenius* e), *Bru-*

ningius f), *Stollius* g), *Burſerius* h), *Bangius* i), *Vogelius* k), aliique doctrinam hanc mancam hucusque & incertam, obſervationibus ſuis completam magis, firmamque medendi methodum nobis tradiderunt.

a) Storch. practiſch. u. th. Tractat vom Scharlach. Gotha 1742.
b) Navier ſur plus. malad. pop. 1753.
c) De Haen Divis febr. & Rat. med. cont. T. I. C. VII.
d) Plencitz Tract. III. de ſcarlat. In op. phyſ. med. Et ſeorſim edit. Ann. 1780.
e) Roſen. Kinderkrankh.
f) Bruningius Conſtitut. Epid. Eſſetenſis. Ann. 1769 & 70 Veſal. & Lips.
g) Stoll aph.
h) Burſerius Inſtit. med. Vol. III.
i) Bang. Acta Hafniens.
k) Vogel med. Handb. 3. B. p. 224.

Epidemice ſæpius graſſatur ſcarlatina. *Sydenhamus* illam ad autumnum refert, etſi quolibet anni tempore graſſari ſoleat. Interim *Plencitzius* aliquot annorum ſpatio Viennæ illam ſæpius circa æquinoctium vernale, quam alio tempore obſervavit.

Puerilem ætatem præcipue infeſtat hic morbus; quamvis *Plencitzius* aliquos triginta & ultra natos noverit, qui ſcarlatina correpti erant.

Contagioſus morbus eſt; ſi enim in communitate, ait *Plencitzius*, decem infantum

unus

unus eadem corripiatur, vix aliquis præſentium ab ea immunis erit. Unde videtur ejus contagium facilius propagabile, & multiplicabile, quam in variolis, & morbillis ipſis. Verumtamen adeſt hic obſervatio admiratione digna, quod aliquando ſanguine juncti, quamvis longo locorum intervallo inter ſe diſſiti, eodem ſcarlatinæ contagio afflari, & fere eodem laborare obſervati fuerint. Tales funeſti caſus attigerant quondam, nimirum ante triginta circiter annos, nobiliſſimam familiam auſtriacam, comitum *de Curland*, cujus quinque proles diverſa prædia inhabitantes, ubi nulla ſcarlatina graſſabatur, ſcarlatina vix non eodem tempore corripiebantur, & ſummo cum nobiliſſimæ familiæ luctu enecabantur. Cæterum ſemel in vita tantum hominem corripere ſolet hæc febris exanthematica.

Symptomata febris ſcarlatinoſæ.

Symptomata febris ſcarlatinæ alia ſunt *conſtituentia*, ſeu ipſa febris, & *conſecutiva*, quæ devictam febrem ſequi ſolent.

Conſtituentia ſymptomata ſcarlatinæ febris ſunt, notante celeb. *Bangio*

a) communia febrilia

 b) ſpe-

b) ſpecialia

c) accidentalia.

Hæc omnia ſeorſim examinemus.

Omnis ſcarlatina orditur cum majori aut minori laſſitudine, viriumque dejectione, quam mox ſequitur plerumque horripilatio, calor, febrisque. Character autem illius febris ex natura corregentis febris epidemicæ accuratius determinari debet.

Inter ſpecialia ſymptomata ipſum exanthema, a quo multa alia pendent ſymptomata, conſiderandum eſt.

Inter primum & quartum diem, aut tardius ſuperveniunt exanthemata, quæ maculas rubras, inæquales, plus minusve latas exhibent; iſtæ maculæ quandoque ita ad invicem conveniunt, ut uniformem per corpus ſcarlatinum colorem præſeferant; eruptio fit primo in facie, collo, faucibus, pectore; tandem in dorſo, abdomine, & in reliquo corpore.

Si fauces inſpiciamus, videbimus omnes earum partes, ut palatum, tonſillas, uvulam, linguam, laryngem, pharyngem, aliaque ibidem ſita organa rubere, & tumere; quod etiam in facie, & reliquo in corpore nunc magis, nunc minus obſervatur. Ex quo evenit, ut ægri nec deglutire, ne quidem

dem loqui valeant; & niſi præſentaneum afferatur auxilium, brevi ſuffocentur.

Subinde aliqua tantum corporis pars exanthemate ſcarlatino maculatur, reliqua corporis ſuperficie intacta.

Hæc exanthemata primis morbi diebus colorem rubrum, cinnaberinum præſeferunt. Verum ad finem vergente ab eruptione die tertia, aut ineunte quarta, hæc ipſa exanthemata pallidiora fiunt, & tandem ſucceſſive, nimirum, quæ primo eruperant prius, alia vero tardius evaneſcunt.

Interim hoc obſervavit *Plencitzius*, quod exanthemata ſcarlatina primis etiam morbi diebus facile, & ſæpius variare ſoleant; nam nunc magis, nunc minus rubent; nunc plura, nunc pauciora in peripheria corporis conſpiciuntur.

Aſt hic ſpeciale phænomenon, quod ſub finem horum exanthematum ſæpe, quamvis non ſemper obſervatur, exponendum reſtat; videlicet die ſexta, aut ſeptima poſt eruptionem ſcarlatinæ, certæ papulæ, ſeu puſtulæ ſat frequentes, præſertim vero in pedibus & manibus in conſpectum veniunt, quæ miliaria alba utcunque referre videntur, qua ex ratione multis in hoc morbo minus expertis imponunt, ut tales pro miliaribus

venditent. At ſi iſtæ intime explorentur, toto cœlo a miliaribus differre obſervantur; nam ſunt meræ veſiculæ vacuæ, quæ a ſeparatione & elevatione epidermidis dependent, & nil niſi aërem in ſe continent; unde fit, ut dein latiores factæ, & ſuo volumine auctæ decorticationi cutis fundamenta præbeant.

Atque ex hoc ipſo mirabili phænomeno exurgit adhuc aliud majore admiratione & attentione dignum; nimirum cutis decorticatio. Hæc fit in facie, collo, pectore &c., ſed præcipue in manibus & pedibus; ita ut lamellæ integræ ſat longæ, latæ & denſæ abſcedant, & ſeparentur. Iſta decorticatio eo major obſervatur, quo magis cutis exanthemate ſcarlatinæ occupatur.

Id denique notandum eſt, febrim ipſam facta exanthematis eruptione, non finiri, ſed ſenſim ſine ſenſu poſt aliquot dies fatiſcere.

Hic ſolet eſſe decurſus morbi, qui absque magnis moleſtiis ægrum tenet, atque ideo ſcarlatinæ benignæ nomen obtinuit, ut ab alia *maligna* diſtinqueretur, quæ cum inſigni ægrorum periculo decurrit. Videamus, quænam ſint periculoſa ſymptomata, quibus

ægri

ægri non raro in ſummum vitæ periculum conjiciuntur.

1) Subinde mox in initio ſtatus ægri ſoporoſus obſervatur; cerebro ſcilicet a materiæ ſcarlatinæ depoſitione affecto. Hinc convulſio univerſalis, phrenitis, apoplexia, mors repentina.

2) Tumores varii glandularum colli, ſubmaxillarium, parotidum inflammatorii.

3) Anginæ graves, neque unius, ſed variæ indolis, atque variis deglutitionis & reſpirationis organis graviter affectis, unde multiplex iterum periculum oritur.

4) Depoſitio materiæ ſcarlatinæ ad thoracem & abdomen; unde ſummum vitæ periculum imminet. Univerſim a varia veneni ſcarlatini ad varias partes depoſitione plurima plus minusve periculoſa ſymptomata oriuntur.

Materiæ ſcarlatinæ translatio ad encephalon ſubinde etiam tardius a *Plencitzio* obſervata eſt: „Notabiles ſunt quidam ſcarlatinæ ſpeciales caſus: in his enim videntur ægri ſecundis velis procedere, neque quidquam apparet, quo aliquid mali ominari valeamus; aſt die morbi ſeptima aut octava, aut etiam tardius ægri fiunt inquieti, mox convelluntur, delirant, triſtes clamores ſæ-

pe edunt, & continuo e lecto proſilire nituntur. Iſte horrendus & lamentabilis ſtatus aliquot horis magis, aliis vero minus affligit; & aliquando ad duas tresve hebdomadas extenditur, ægros viribus exhaurit, & plerumque e medio tollit. Hic notatu dignum eſt, quod in ſimilibus ægris nec cutis decorticationem, nec prædictum hydropicum tumorem unquam obſervaverim. Adeoque ſuſpicari licet, materiam illam exanthematicam ad cerebrum verſam, ibidem ſedem fixiſſe, & hanc tragœdiam luſiſſe a)."

a) Plencitz L. c. p. 21.

Inter ſymptomata *accidentalia*, quæ a febre admixta, & propria ægrorum conſtitutione potiſſimum oriuntur, vomitus, ſæpe ſub adgrediente morbo, hæmorrhagia narium, tuſſis, ſaliva cruenta, moleſta ſternutatio, obauditio, aut ſurditas, purpura tam alba, quam rubra &c. numeranda ſunt.

Symptoma ſcarlatinæ *conſecutivum*, idque graviſſimum & periculoſum tumor eſt leucophlegmaticus, quem idem auctor præclare deſcripſit: ,, Neque hic finis malorum, quæ a ſcarlatina dependere ſolent; nam dum æger nonam, decimam, aut undecimam attigerit morbi diem, incipit placide dormire,

cibos

cibos appetere, aliisque functionibus bene, & fere naturaliter fungi, ſicque omnia morbi pericula ſuperaſſe videtur; unde fit, ut parentes, adſtantes, quin imo ſæpe etiam medentes, ægrotum tunc in vado conſtitutum eſſe credant. Aſt falluntur; ſupereſt enim majus jam ſuperato periculum. Etenim die decima quarta aut decima quinta, aliquando etiam tardius a diſſipata ſcarlatina ægrotus incipit fieri languidus, debilis, moroſus; ac tantum toto corpore tumidus; nam non tantum facies, ſed & pedes, manus, pectus, abdomen & ſcrotum, denique univerſum corpus, leucophlegmatico turget tumore. Urinæ ſecedunt ſat paucæ, & quod admiratione dignum, plerumque cruentæ, aut loturæ carnium ſimiles.

Iſte tumor manifeſtat ſe primo in facie, & dein in reliquis corporis partibus. Vidi, quod aliquando ita increſcat, ut luce capiantur ægri, & nec pedibus inſiſtere, multo minus progredi valeant.

De hoc hydropico tumore ſequentes obſervationes notari debent:

1) Quod iſte leucophlegmaticus ſtatus ſuperveniat potiſſimum illis, qui copioſis aut malignis ſcarlatinæ exanthematibus afficiuntur.

tur. Vidi tamen benigniſſimæ ſcarlatinæ ingentem totius corporis tumorem adveniſſe.

2) Quod illi, qui majorem cutis decorticationem experiuntur, ſoleant etiam magis tumere, quam alii. Interim obſervavi valde magnum tumorem in aliquibus, qui nullam experiebantur decorticationem.

3) Quod infantes facilius, & magis tumeant, quam illi, qui ſunt ætate provectiores.

4) Quod ægri magis tumeant in hyeme, quam in æſtate; item illi magis, qui intempeſtive libero ſe exponunt aëri, quam qui in debita tranſpiratione degunt.

5) Quod iſte hydropicus ſtatus periculoſior ſit, & plures exinde moriantur, quam ex primo ſcarlatinæ ſtatu a)."

a) Pleucitz L. c. p. 16.

Febrem hanc ſcarlatinam primus omnium *Sennertus* deſcripſit, etſi dubius adhuc hæſerit, an ad morbillos, purpuram, roſaliam hunc morbum referre debeat. Sequenti autem modo hunc morbum a *Sennerto* deſcriptum legimus:

„Præter has differentias adhuc alia eſt, ſed rarior quidem, quam aliquoties obſervavi, quo nomine autem ab aliis diſcernerem,

rem, hactenus dubius fui; etſi enim inſtar eryſipelatis totum fere corpus prehendat, tamen non vidi, quod adultos, quod in eryſipelate fere fieri ſolet, ſed infantes ſolum corripiat.

Malo ergo ad morbillos referre; & forſan malum eſt, quod *Foreſtus* Libr. 6., obſ. 59. purpuram & rubores apellat. Joan. Philipp. *Ingraſſias* roſaliam a Neapolitanis nominari ſcribit.

Maculæ rubræ, & quaſi ignitæ cum vix effatu digno tumore per univerſum corpus, quaſi parva eryſipelata erumpunt in principio, ſeu morbi die quarto vel quinto. In ſtatu vero univerſum corpus rubrum, & quaſi ignitum apparet, ac ſi univerſali eryſipelate laboraret. In declinatione rubor ille imminui, & maculæ rubræ latæ, ut in principio iterum apparent, quæ tandem ſeptimo vel nono die evaneſcunt, epidermide ſquamarum inſtar decidente.

Malum hoc grave, periculoſum, & ſæpe lethale eſt; nam calor eſt fervidiſſimus, ſitis inexſtinguibilis, & plerumque pulmonum (unde tuſſes excitantur) faucium, & aliorum viſcerum inflammationes, deliria, & alia mala urgent.

In

In declinatione tandem materia ad articulos extremorum transfertur, ac dolorem & ruborem, ut in arthriticis, excitat, cutis ſquamarum inſtar decidit; mox pedes ad talos & ſuras usque intumeſcunt; hypochondria læduntur, reſpiratio difficilior redditur, tandemque abdomen intumeſcit, ægrique non ſine magno labore, & poſt longum tempus ſanitati reſtituuntur, ſæpe etiam moriuntur a). "

a) Sennertus de febribus. Libr. IV. Cap. 12.

Methodus medendi.

Cum natura veneni ſcarlatini nos lateat, nullumque antidoton cognitum ſit, *directe* in illud agere medicus non poteſt, ſed omnis labor in juſto febris moderamine conſiſtit. Methodo itaque *indirecta* hic utendum eſt. Subinde tam benignæ indolis eſt hic morbus, ut præter temperatum quoad ſex res non naturales regimen, ægri vix aliqua medici opera indigeant. Unicum tantum & ægris & medicis obſervandum eſt, ne ſcilicet evaneſcentibus jam exanthematibus ægri nimis cito aëri frigido ſe exponant, cum ſcarlatinæ etiam benignæ aliquando ſuper-

veni-

venire ſoleat tumor ille moleſtus, & ſæpe periculoſus, phlegmaticus dictus.

Verum ſæpiſſime ferocior hujus morbi character obſervatur, atque ideo majori remediorum apparatu opus eſt.

Subinde inflammatoria febris urget, ut generoſa methodus antiphlogiſtica adhibenda ſit. Atque omnium primo ſanguis mittendus eſt.

Staſis inflammatoria in hoc morbo quandoque ita urget, ut niſi ſtatim ſub initium morbi hanc præ omnibus aliis reſpiciamus, omnibus aliis conatibus oleum & operam perdamus. Cum enim ſtaſis inflammatoria cerebrum, fauces, aliasque nobiles partes occupet, debemus eſſe ſolliciti, ut liber humorum per has partes circulus procuretur, quod fit primo demendo quantitatem eorum, ſecundo impetum ipſorum ad partes affectas minuendo, quod fit revellendo & derivando; & tandem tertio humores meabiles, & fluxiles reddendo.

Vanus metus eſt, ait idem ille princeps de ſcarlatina ſcriptor *Plencitzius*, ne exanthema ſcarlatinum evacuato ſanguine retrocedat: nam in noſtro caſu exigit venæ ſectionem ſtatus morbi inflammatorius, & præceps & omiſſa ſanguinis miſſione vitæ periculum;

culum; quia breviſſimo tempore inflammatione affectæ partes in gangrænam mortemque terminantur, quibus venæ ſectio in debita quantitate inſtituta moras injicit; ut dein ex aliis appropriatis remediis multum ſperandum reſtat. Sanguis venæ ſectione extractus prædi:us eſt cruſta tenaci, lardacea, eodem modo, ut in pleuritide, & peripneumonia; adeoque, ſicut in his caſibus adhibitis quibuscunque diluentibus & antiphlogiſticis ſine venæ ſectione nihil efficimus, idem dicendum erit de ſcarlatina.

Præterea non tantum meis, pergit idem auctor, ſed etiam aliorum obſervationibus edicere poſſum, quod in ſcarlatina valde maligna quantocyus ſufficiens quantitas ſanguinis detrahatur, ægri breviſſime aut ſuffocentur, aut gangræna afficiantnr. Hoc ipſum confirmat & corroborat ſua auctoritate *Freindius* in hiſtoria medicinæ: „ in variolis, morbillis, & ſcarlatina, ſi ſymptomata vehementiora fuerint, ſi caput aut pulmones vehementius urgeant, aliæque partes ingenti dolore ſupra modum afficiantur, ratio poſtulat, ut vena incidatur, ac tuto fieri licet. Et teſte experientia, nihil enim frequentius expertus ſum, adaucter affirmo, me nun-

quam

quam obſervare potuiſſe, eruptiones iſtiusmodi ex venæ ſectione retroire. "

Optime etiam novit *Flencitzius* debilitatem illam *fictitiam*, quæ medicos tam ſæpe fallit, a vera virium vitalium ruina diſtinguere.

Sed dices, ait, certæ & evidentes obſervationes nos docent, quod ſæpe in morbis malignis, ut in ſcarlatina maligna humores noſtri corporis non ſint tenaces, viſcoſi, & cruſta lardacea donati; ſed potius diſſoluti; in ſimili vero caſu venæ ſectio debet exulare, alia vero remedia, ut incraſſantia, auſtera, & acida mineralia præſcribi debent.

Ad hanc difficultatem reſpondeo, quod in ſimili caſu deberemus abſtinere a venæ ſectione, & prædicta remedia, noſtris dein remediis contraria, ordinare.

Aſt hoc monitum volo, quod tales caſus in noſtris regionibus oppido rari eſſe ſoleant, quia ad talem humorum diſſolutionem illi potiſſimum proclives ſunt, qui endemio & hæreditario titulo craſi humorum ſcorbutica præditi ſunt, quod in noſtris regionibus oppido rarum eſt.

Ad hanc objectionem referri poteſt alia in ſcarlatina maligna obſervatio. Nimirum ego ipſe aliquoties ſumma cum admiratione

obſervaveram, quod vegeti & alias ſaniſſimi infantes, aut juvenes ſcarlatina maligna correpti breviſſimo tempore cum pulſu debili, frequenti & inæquali perquam debiles languerent; qua ex ratione hæſit mihi aqua, an in ſimili caſu ſanguis mittendus eſſet, nec ne.

Sed experientia me a poſteriori docuit, quod ex celebrata venæ ſectione ſimiles ægri potius refocillarentur, quam opprimerentur; nam pulſus exinde fiebat æqualior, fortior, & mollior, quod denotat in ſimilibus caſibus vires oppreſſas, non vero exhauſtas dici debere. — — Interim in talibus caſibus bene perpendendum eſſe judico, an non ſtantibus his ſubſit jam gangræna; in quo caſu mortem, aliunde inevitabilem, venæ ſectio potius accelleraret, quam præcaveret; quapropter ſatius eſt in tali caſu ab omni ſanguinis miſſione abſtinere; ne medicus videatur occidiſſe illum, quem iniqua ſors ipſa interemit a).

a) Plencitz. Libr. c. p. 92.

Si autem angina inflammatoria adſit, ut raptus humorum ad encephalon ægros in vitæ periculum conjiciat, topicæ ſanguinis evacuationes ocyus inſtituendæ ſunt. Hirudines

dines ad tempora, retro aures applicatæ, in infantibus præçipue dentitione ſimul laborantibus maximum levamen ferunt. Cerebro graviter affecto ſectio venæ jugularis.

Factis, quæ fieri debebant, ſanguinis depletionibus rubefacientia gutturi, ſuris, plantis pedum applicata materiam ſcarlatinam ad ſuperficiem corporis proliciunt.

Potus ſit emolliens, diluens, copioſus, ut colatoria omnia laxentur, & aperta ſerventur. Hinc decoctum altheæ cum nitro & roob ſambuci, &c. Gargariſmata emollientia, enemata emollientia &c.

Morbo tandem jam plurimum fracto camphora parca manu exhiberi poterit, ad reliquias materiæ ſcarlatinæ per corporis ſuperficiem difflandas.

At magis laborioſa ſæpe eſt tumoris illius leucophlegmatici ſanatio, qui jamjam convaleſcente ægro obrepit, & plurimos homines, quam prior morbi ſtatus letho tradit. Etenim tumor iſte leucophlegmaticus non tantum faciem, manus pedesque occupat, ſed & abdomen, ſcrotumque immenſum tument; urina ſecedit pauca, & plerumque cruenta, aut loturæ carnium ſimilis, fæces alvinæ ſunt albæ & pultaceæ, tuſſis adeſt ſicca, quandoque ſat violenta, & reſpiratio

laborioſa; corpus eſt languidum, ponderoſum, vixque mobile. Vaſa ſeroſa & lymphatica mirum in modum tument, & tenduntur, unde ſi appropriatis remediis quantocius opem non feramus, hæc dilacerantur, & fit humorum ſive ad cerebrum, ſive ad cavitatem thoracis, aut abdominis extravaſatio, ſicque malum immedicabile redditur.

Quare medentem triplex in hoc morbo officium tenet: Primum eſt, ut tumorem hunc funeſtum prævertere ſtudeat; alterum in eo conſiſtit, ut tumorem jam præſentem tollat; tertium denique eſt, ut partes laxæ corroborentur.

Prima indicatio requirit, ut æger in lecto detineatur, & ſero tandem aëri libero ſe exponat. Hinc in Etruria, ubi morbus hic frequenter occurrit, ægri ante 40. morbi totius diem ex conclavi non egrediuntur a).

Orto autem jam tumore hoc leucophlegmatico humores incidere, & per urinam & alvum educere oportet.

Magnus numerus eſt remediorum diureticorum, e quibus tamen pro varia morbi complicatione, & varia ægri conditione ſelectus fieri debet. Cremor tartari, liquor terræ foliatæ tartari, ſcillæ præparata,

ſa, millepedes &c. huic indicationi reſpondent.

Cum autem urinæ in hoc morbi ſtatu parcæ, & difficulter fluant, alvum ſimul oportet ſollicitare enemate frequenter injecto, & mixturis ſalinis. Sed ipſa etiam alvus ſubinde ægre movetur; hinc *Plencitzius* ad mercurium & aurum fulminans ſolebat confugere b).

a) Burſerius inſtitut. P. III.
b) Plencitz L. c. p. 132.

Durante hoc tumore leucophlegmatico duo notante *Plencitzio* ſymptomata medentis attentione digna ſunt. Comatoſus ſcilicet affectus, qui denotat ſeroſam colluviem ſive intra, ſive jam extra vaſa in cerebro hærere. In quo caſu, præter ſuperius recenſita remedia, veſicantia nuchæ, aut etiam capiti raſo applicanda ſunt. Si autem notabilis febris juncta ſit, venæ ſectio & ſanguiſugæ indicantur.

Alterum moleſtiſſimum malum eſt hydrops ſcroti, quem ſæpe talem vidit *Plencitzius*, ut caput magnitudine & amplitudine excederet. In tali caſu humores ſtagnantes debemus reſolvere, diſcutere, evacuare, ac tandem partes laxas roborare.

 Hinc

Hinc herbæ reſolventes, flores ſambuci, verbaſci in lacte aut in aqua coctæ per modum fomenti ſcroto applicandæ; interno remediorum uſu interim continuato. Scrotum ſuſtentaculo tenendum eſt. Poſtquam autem tumor ſcroti ſubſederit, ſcrotum fomentis ſiccis ex ſupra dictis herbis roborandum eſt. Huc etiam referri debent fumi aromatici, item aqua calcis cum ſufficiente quantitate ſpiritus vini camphorati.

Tertia denique indicatio in præcavendo relapſu conſiſtit, quod victu nempe & remediis roborantibus obtinetur. Hinc præter victum reſtaurantem, lenia martialia, rhabarbarina, amaricantia, & infuſa vinoſa cum marte. Maximas autem roborandi vires ipſum corporis exercitium præbet, dummodo mane, & ad levem usque inſudationem inſtituatur.

Univerſim, in ſananda hac hydropis ſpecie ad febrem reſpicere debet medicus. Si enim ſebris inflammatoria juncta ſit, tumor iſte leucophlegmatio ſolo antiphlogiſtico apparatu, eoque etiam generoſo tollitur.

Pro-

Prognoſis.

Prognoſis ſcarlatinæ a *Plencitzio* optime exponitur a).

Scarlatinam benignam, ſi nullus in ſex rebus non naturalibus committatur error, eſſe omni periculo expertem omnes norunt practici. Altioris vero indaginis, & majoris periculi ſcarlatina maligna eſſe ſolet.

Scarlatina maligna habet ſuos malignitatis gradus, nam aliquando prima, aliquando ſecunda, tertia, aut quarta die, aliquando tardius interficere ſolet.

Gradus malignitatis deſumitur a ſymptomatibus affligentibus; ſi enim ſumma adſit proſtratio virium, ingens in deglutitione, & reſpiratione difficultas, ſopor, delirium, intra unam alteramve diem jugulare poteſt.

Si ſtantibus his diris ſymptomatibus pulſus ſit parvus, & celer, videtur jam gangræna ſubeſſe.

A contrario multum ſperare poſſumus, ſi ægri libere reſpirent, ſi exigua cum difficultate deglutiant, & ſi pulſus, non obſtante ejus celeritate, ſit fortis.

In infantibus cæteris paribus minus eſt periculum quam in adultioribus, quia illorum corpora magis ſunt tranſpirabilia, faci-

liusque ſine dilaceratione fibrillarum tendi poſſunt.

Quo tardior & rarior fit ſcarlatinæ eruptio, eo benignior plerumque eſſe ſolet; quo autem citior, & copioſior corpus obſidet, eo periculoſior eſſe conſuevit. Interim vidi ſæpe ſtatim prima die ſcarlatinam benigniſſimam in conſpectum veniſſe. Item obſervavi, quod, quamvis exanthemata ſcarlatinæ ſint rara, ſi tamen febris, & anxietates perſeverent; ſemper mali moris dicenda ſit ſcarlatina.

Quando ſcarlatina ſedem mutat; hoc eſt quando nunc una, nunc altera pars corporis magis rubere videtur; aut quando univerſaliter in ambitu corporis nunc major, nunc minor apparet rubedo; metuendum eſt, ne in aliqua interna corporis parte ſedem figat, ſicque periculum augeat.

Si in frequente, & copioſa ſcarlatina externus corporis habitus tumeat, facilius toleratur morbus, ſecus enim adeſt intolerabilis ardor.

Si corpus in peripheria tumeat, ſubſequitur certius decorticatio, quam ſi non tumeat.

Si diſſipata jam ſcarlatina ægri adhuc febricitent, inquieti, & inſomnes ſint, ſignum

num eſt, criſim necdum perfectam adeſſe, adeoque multa adhuc metuenda ſupereſſe.

Quibus ſcarlatina ad decorticationem diſponitur, videtur quaſi critice hac ratione evacuari; obſervavi enim, quod tales ægri non tam ex ſcarlatina, quam ex ſubſequo tumore leucophlegmatico metuendum habeant.

Si poſt ſuperatam jam ſcarlatinam, præcipue malignam, ægri ab omni febre immunes ſint; & tamen non appetant, languidique maneant, ſignum eſt prædictum tumorem leucophlegmaticum in propatulo eſſe.

Si tumor iſte leucophlegmaticus cum pulſu febrili conjunctus ſit, majus portendit periculum, quam ſi ſit ſine febre.

Si adhibitis exquiſitiſſimis, quæ ars dictat, remediis, tumor ille leucophlegmaticus nihilominus cedere nolit, tunc vel fit raptus illius ſeri ad cerebrum, ex quo ægri fiunt comatoſi, ſicque aut convulſi, aut apoplectici pereunt. Vel fit decubitus ad cavitatem thoracis, unde dein ſequitur ſuffocatio.

a) Plencitz L. c. p. 83.

Quæſtiones.

1) Cum ſcarlatina, ut in prioribus dictum eſt, plures in eadem domo infantes corripiat, aliquo ex illis infecto; atque illi, qui conſortio cum talibus ægris prohibentur, immunes maneant, nullum utique dubium eſt, peculiare eſſe morbi ſcarlatini venenum.

2) At ab eodem miasmate modo benignam, modo autem malignam ſcarlatinam progigni, id equidem, ut in variolis & morbillis, a conſtitutione epidemica, & peculiari ægrorum conditione pendet. Confirmatur hujus rei veritas celeb. *Bangii* obſervatione:

Differt admodum gravitas hujus morbi juxta epidemiam diverſam: anno 1777. Hafniæ graſſabatur mitioris & inflammatoriæ indolis, poſt decem annos ſc. 1787 rediit gravioris momenti, quandoque intra paucos dies lethalis; exemplum tale memoria dignum æſtimo juvenem 18 annorum natum, quem primo mox die inveni quodammodo ſtupidum, valde æſtuantem cum pulſu huic morbo proprio ſc. valde celeri, altero die jungebatur dolor faucium deglutitioni obſtans, e vena ſecta ducebatur ſanguis denſus

ſus nulla cruſta tectus, pulſus nunc depreſſus, irregularis obſervabatur, die tertio ſtupor erat enormis, æger nil loqui & nil queri poterat, deglutitio integra, pulſus idem, ſcarlatina totum corpus obducebat, hirudines temporibus applicabantur, die quarto pulſus magis elevatus, aliquid ſed indiſtincte loquebatur æger, alias valde inquietus & delirans; die quinto ſtatus idem, reſpiratio frequens, linqua ſemper ſicca ad margines albeſcens, & ad aphtas inclinans videbatur, tuſſis acceſſit cum ſputo mucoſo denſo, quod noctu valde ſanguineum redditum ægro ſuffocationem induxit, initio laxans, dein clysmata, epiſpaſtica artubus applicata & intus camphorata in uſum trahebantur. Nonne inflammatoria cenſenda eſt natura hujus caſus? nonne ſtupor enormis malignitatem & putridam indolem mentiens ex inſigni ſanguinis orgaſmo cerebrum comprimente declarari poteſt & debet? num hoc judicio tempeſtive ductus medicus repetita phlebotomia prævertere potuiſſet lethalem in pectore ſanguinis congeſtionem & effuſionem? nonne tantus morbi gradus e ſcarlatinoſo exanthemate internas partes occupante derivari poteſt? in hac epidemia vomitus non raro ſponte contingens ſalutaris obſervabatur,

tur, quapropter, ni faucium nimis moleſta affectio jamjam adeſſet, naturan imitari artem oportebat a).

a) Cel. Bang. Prax. med. p. 121.

3) Uti ex obſervationibus hucusque conſtat, nemo viſus eſt, qui ſecunda vice ſcarlatina corriperetur.

4) Sub vario ſchemate ſcarlatina apparet. Subinde enim ſola febris obſervatur, quin exanthema ſcarlatinum prodeat, præſente interim pruritu, ardore, imo etiam deſquamatione cutis. Angina etiam, absque febre, & exanthema ſcarlatinum absque febre occurrit. Hæc forte ratio eſt, cur pauciores homines ab hoc morbo corripi videantur.

5) Cum itaque adeo funeſtæ occurrant febres ſcarlatinæ, inſitio veneni ſcarlatinoſi, regnante præſertim in vicinia ſcarlatina maligna, eo conſilio eſſet inſtituenda, ut corpora contra graviora pericula præmuniamus; veriſimile enim eſt, miasmate per corporis ſuperficiem communicato, periculoſa ſymptomata poſſe averti.

VA-

VARIÆ IN MORBOS INTERCURRENTES ANIMADVERSIONES.

I.

Epidemia varioloſa & ſcarlatina Comitatus Tecklenburgenſis anno 1772.

Comitatus Tecklenburgenſis epidemias ab anno 1772 eleganter narrat cl. *Finck*, medicus doctus ac prudens. Earum hiſtoriam latine redditam ſic habeto.

„Poſtquam annis 71 & 72 morbilli inter nos regnaverant, quorum peſſimas ſequelas in pluribus infantibus vidi, qui ventre tumido, tuſſi hecticave febre laborabant, tandemque moriebantur.

Adactæ nos ſunt variolæ autumnali tempeſtate initio benignæ, hyeme vero, & vere anni 73, poſtquam paulatim ſe diffuderat epidemia, malignæ eſſe cœperunt. Magnam hæ ſtragem inter infantes & adultos etiam ediderunt. Puſtulæ mox poſt eruptionem nigreſcebant, & putredinis aderant ſigna haud ſuſpecta. Subinde aquoſa materia repletæ videbantur puſtulæ. Caput collumque præcipue in immenſum tumorem increſcebant, & angina ſe adjungebat.

Sub

Sub finem autem ejusdem anni rareſcere incepit morbus, iterum benignus, atque tandem ita evanuit.

Quæ variolas excipiebant mala, haud magis exigui erant momenti. Ex neglecta enim purgatione apoſtemata & furunculi orti ſunt, quorum ſæpe nimia quantitas, quam quæ a natura ferri poſſent, tabem & mortem arceſſebant. Plures oculorum vitiis affecti ſunt, ii vero præcipue, qui durante morbo oculos ſervaverant apertos; qui enim clauſos habuerant, ii ſalvos reportabant.

Pauciſſimi medicam efflagitabant artem. Quos autem curavi, ſalvos feci plurimos ei methodo inſiſtens, quam & illuſtriſſ. *Tiſſot* & celeb. *Roſen* commendarunt. Veſicatoria præcipue eruptionem pulchre promovebant. Ubi, poſt neglecta morbi initia, putredinis ſigna urgerent, pulchram mihi opem præſtitere iterum veſicantia, cortex peruvianus, acida mineralia atque camphora. Oculi ulcera, quæ corneæ pelluciditatem obſcurabant, *Sloaniano* unguento expedite curabam.

Variolas haud diu poſt excepit tuſſis convulſiva infantum (Gallis quinteuſe). Omnes fere infantes invaſit, iis tamen, ut mihi viſum eſt, magis parcens, qui variolas perpeſſi erant.

Mor-

Morbus initio ſuo affectum catharralem mentiebatur, mox autem ruebat in pejus, febris, vomitus, & tuſſis alternis diebus vehementior, hujus morbi ſignum pathognomonicum ſiſtebant. Aliis appetitus proſtratus erat, aliis vero, & iis præſertim, qui ſæpius vomuerant, laudabilis; & hi quidem meliori quoque animo erant. Vomitus tamen hic ſpontaneus haud ſufficiebat ad tollendum morbum, & ubi ars haud ſuccurrebat, tabe corripiebantur ægroti. Contagium ſpirabat morbus, & ejusque alterna remiſſio primis quidem diebus ſenſibilis, ſequentibus evaneſcebat. Mucoſa, quam vomitu rejiciebant, materies tenaciſſima erat & copioſiſſima.

Curationem hic ſimpliciſſimam adornavi, eamque diagnoſi, quam de morbo mihi formaveram, adæquatam. Cum enim organorum reſpirationis conſtrictionem ſpasmodicam, heterogeneamque materiam ventriculum inundantem pro mali fontibus agnoſcerem, tollendæ utrique cauſæ aptius haud noveram medicamentum ipecacuanhæ radice; hanc ſine cunctatione in uſum traxi, &, ſancte aſſevero, pulcherrimo ſucceſſu. Tenellis 5 aut 6 ſeptimanas natis ipecac. gr. ij., cum ſaccharo per triduum mane exhibebam,

ham ; quibus ſæpe pulchre ſublevabantur ægrotuli, ſubinde quoque per aliud triduum experimentum repetii, medicaminis doſin ætati adaptans. Poſt primam ſtatim doſin tuſſis paroxysmi rareſcere incipiebant, ſub continuato uſu ſemper rariores. Curationem confirmabat cortex peruvianus. Erant, apud quos vel ſquillam, vel purgantia, vel veſicatoria requirebant circumſtantiæ.

A tentandis vero aliis medicamentis abſtinerunt me ipecacuanhæ optimi effectus a). Semel *Baglivio* commendatum muſcum quercinum in uſum vocavi, irrito ſucceſſu.

a) Cicutam hic commendavit cl. Buttler Treatiſe on te Kincough. London 1773.

Adultos hac tuſſi laborantes pauciſſimos vidi; hisque eadem opitulabantur remedia. Ubi negligebatur morbus, ventrem tumidum, faciem hippocraticam, tabem & mortem tandem inſequi, obſervatum eſt.

Anni 75 vernis menſibus, ita pergit cl. *Finck*, in noſtram regionem irrupit febris ſcarlatina, quam duce natura eleganter delineavit cel. *Roſen*. Multos occidit hæc epidemia initio ſuo minus bene nota, & pro ſimplici angina habita. Singulare id hic obſervavi, puellas præcipue 12 ad 24 usque anno-

annorum, ubi medicamenta ſpernebant, hoc morbo occubuiſſe. Mortem hic ſemper præſagiebat ominoſa diarrhæa, inflammatio ruebat ad pulmones, ſequebatur ſuffocatio. Qui medica arte curabantur, morbum haud lethalem experti ſunt.

Præter notam omnibus antiphlogiſticam methodum ſequens curatio omne tulit punctum. Conſtipatæ alvo clysmata adhibebantur. Interne julapium e camphora acetoſum pharmacopææ Wittenbergenſis exhibitum eſt. Suris applicata viſicatoria. Collo circumdata cataplasmata emollientia, & interdum ſinapismi, ubi imminens ſuffocatio urgebat. Gargarismata refrigerantia.

Poſt ſuperatum morbum, qui frigidæ auræ maturius ſe exponebant, feſtinationis ſuæ pœnas luebant ſive crurum tumeſcentia, ſive minante hydrope, quem tamen avertebant ſcillæ præparata. Deſquammata epidermis perfectæ ſanitatis ſignum erat a).

a) Celeberr. Metzger adverſaria medica. P. II. p. 52.

II.

De variolis epidemicis in comitatu Steinfurtenſi anno 1773—75. *Auct. Cel. Metzger.*

Variolæ, quarum perpetuum fere imperium eſt in hanc iſtamve regionem, noſtras ex eo tempore, quo reliquas derivavimus epidemias, ſucceſſive devaſtarunt, modo benignæ, modo, & quidem ſæpius, malignæ. Occidentalem Principatus Monaſterienſis partem, atque ſimul Benthemienſem Comitatum A. 73. variolæ occupabant malignæ. Hæ ex natura ſua, peſſima methodo, ruſticorumque contra medicinam præjudiciis ita evaſere lethales, ut unus pagus (ſic mihi relatum) intra ſex ſeptimanas quadraginta viderit varioloſos ſepultos. Utriusque epidemiæ finis in idem tempus incidit, atque nunc a metu liberati Steinfurtenſes, ut citra Vechtam Monaſterienſes ab imminenti contagio.

A. 74 Monaſterium urbs, totaque orientalis pars ejus regionis, quæ noſtris conſiderationibus ſubjacet, variolis laboravit ſumme malignis. Harum contagium extendit ſe ad limites fere usque Comitatus noſtri, ita, ut nullus dubitaret, nunc variolis affli-

afflictum iri & Burgoſteinfurtum. Vidi ego in pago haud maximo, quo ad febricitantem vocatus fueram, leuca a nobis diſtante, magnum variolis decumbentium numerum, qui fere omnes vino hiſpanico, ad promovendam ſcilicet eruptionem utebantur; ſciſcitanti mihi affirmatum eſt a variis fide dignis, fere quadringentos hic decubuiſſe infantes, quorum maxima pars perierit.

Nihilominus & hæc epidemia ad noſtrates usque ſeſe non extendit. A. 73. cum contagium metueremus, inſeri variolas amatæ ſuæ proli curavere nonnulli parentes. Neque tamen ideo ſparſit ſe per urbem contagium, quod tamen quinquennio antea, ſimili occaſione anſam dante, contigerat. Pauci, in loca contagio affecta profecti, apud nos temeritatis ſuæ pœnas luerunt, *intemerata* cæterorum ſanitate.

Tandem vero A. 75 urbem noſtram quoque occupavit contagium varioloſum, ita autem benignum, ut vix ac ne vix quidem, etiam ſine medicis auxiliis, de uno mortuo auditum ſit, & contagium potius optarent, quam fugerent, qui morbum nondum erant experti.

Narravi hæc, non per ſe memoratu digna exiſtimans, ſed quod exinde nonnul-

la corrollaria derivanda ſint, quæ ad hiſto-riam morborum epidemicorum pertinent.

Mihi enim videtur, ſingularem variolarum hic circuitum mutationesque cogitanti, vulgarem de epidemiis ſententiam aëre, tanquam vehiculo, e loco in locum transferri poſſe aut debere, non ſatis firmam aut experientia probatam eſſe. Contagii quoque naturam hucusque obſcuram eſſe, apparet.

Variolarum inſertio apud nos acceptior eſt, quam in multis aliis regionibus, id quod facile miraberis, ſi cogites, quam alieni a novitatibus ſint Weſtfali noſtri. Curis hoc effectum eſt cel. *Hoffmanni*, Monaſterienſis Archiatri, viri magna nominis fama, feliciſſimaque praxi, ut & novo circa variolarum naturam, geneſin, ſedem & reliqua phœnomena, ſyſtemate a), tandem vero magno numero inſtitutis inoculationibus claro. Multa habet celebris hicce vir in hac operatione ſibi propria, quæ ubi hic expoſuero, neque ingratum quid lectori, neque, quod ipſi cel. viro diſpliceat, præſtitiſſe me ſperabo.

Præ-

a) Novam hanc ſententiam propoſuit in der Abhandlung von den Pocken, worinn die Erzeugung derſelben &c. vor Augen gelegt wird. Münſter und Hamburg 1770.

Præparationem quam rejiciunt cl. *Gatti*, *Camperus* aliique non ſolum haud reprobat vir celeberrimus, ſed adornatæ ſui generis præparationi totum ſuperſtruit curationis negotium. Faciunt hic 1. pillulæ, quas ſive varioloſas, ſive minores appellat. Has vero octo quindecimve ante operationem diebus exhibet vir clariſſimus, numerum ſecundum ætatis annos ſtatuens, & ſic quoque per totum morbi decurſum pergitur, minuta tamen medicaminis doſi. Has pillulas conflari curat ex mercurio dulci cum ſpiritu vini deflagrato. 2. Camphora; hujus uſum univerſalem in variolarum tractationem introduxit vir clariſſimus, poſtquam nobilem matronam variolis confluentiſſimis peſſime decumbentem, camphoræ uſu externo orci faucibus eripuerat; eſt autem hujus uſus ſive internus, ſive externus, isque potiſſimum in ſuffimigiis, quibus puſtularum eruptionem ita moderari ſibi videtur, ut eas ab his iſtisque partibus repellere, ad alias autem derivare poſſit.

Sic apparet, ineſſe ſecundum cl. *Hoffmannum* & mercurio dulci & camphoræ quid antivarioloſi, actuoſi, quo admiſſi virus vehementia domatur, puſtularumque numerus ita minuitur, ut ſine periculo quocunque

 mor-

morbus decurrat. Equidem me fugit, neque ſcire intereſt, an *Boerhaavii* autoritate permotus, an experientia convictus in iſtam ſententiam tranſierit vir clariſſimus, ut mercurium varioloſi veneni antidotum ſtatuat b). De camphora vero quatenus antivarioloſa ſpecifica, præter cel. *Crantz* c) nullum noverim autorem, qui eam pro tali agnoverit, aut ſaltem fuerit ſuſpicatus.

Ad id tamen conſtans, magnas apud practicæ Medicinæ Doctores laudes eſſe camphoræ non ſolum in morbis quibuscunque malignis, ſed in variolis præcipue hujus generis. Pertinent inter hos *Tralleſius*, *Tiſſotus* d), *Hallerus* e), *Spielmanus* f), *Collin*

b) Mercurium dulcem plures inoculatores præparationi immiſcuere. Vid. cel. DE HAEN *Rat. Med. contin.* T. I. C. V. §. 18. ill. VAN SWIETEN *Comm. in Aph.* §. 1392. & cl. CAMPER Anmerkungen über die Einimpfung der Blattern, &c. Methodi Suttonianæ arcanis etiam immiſtum eſt Calomel.

c) *Mat. med.* T. I. p. 150.

d) *Epiſt. med. pract.* ad HALLER. p. 236. Ubi ita: Cortici peruviano non adeo viribus diſſimilis camphora, quam in varioloſa praxi primus adhibuiſti pluribus deinceps monſtrans viam: *in malignis ſpeciebus* nonnullis acidis nuptam admodum prodeſſe vidi. Hæ ſunt in hoc morbo, ut docuit uſus, ejus virtutes: vires blande erigit: fibras leniter ſtimulando putridum virus coërcet, & ad cutim dejicit &c.

e) *Opuſc. Pathol.* Obſerv. XXXXIV.

f) *Inſtit. Mat. med.* p. 309 ſqq.

lin g), ut plures taceam, fateorque, agendi rationem hujus medicamenti, meo judicio, optime fuiſſe ab *Hallero* h) expoſitam, ubi: „Quærebam medicamentum, inquit, quod ſolveret, quod motum ad cutem ſuſtineret, tamen febre non aucta, & puſtulas retrolabentes foras retineret, neque tamen alcaleſcentiam humorum augeret. Reperi medicamentum, quod hoc præſtaret, quod levi quaſi inflammatione excitata humorum virus in puſtulas expelleret, ſtaſin diſſiparet, eo vero effecto, quod petebatur, quieta omnia relinqueret. Id vero fuit campho-

g) Ex profeſſo camphoræ vires in variis morbis & in variolis quoque expertus eſt vir indefeſſus *Obſervationum circa morbos acutos & chronicos factarum* parte 3tia. Memorabilia hæc ſunt cl. viri verba p. 148. Camphora, inquit, non eſt remedium prophylacticum contra miasma epidemicum morbos putridos producens: licet hujus miasmatis effectum, putredinem nempe humorum corrigat, vires ſuſtineat, erigatque ad venenum ex corpore eliminandum. Liceat hoc loco annotaſſe formulam Nro. 6., quæ clysma camphoratum exhibet, nimia camphoræ doſi peccare, quæ haud ſatis in ea aquæ quantitate ſuſpenditur; fiſtulam enim ita obturat, ut, quoties hoc clysmate uſus ſum, camphoræ doſin ad dimidiam partem ſc. ad dr. ij. reſtringere fuerim coactus.

h) L. mox c.

ra, merito prædicata a *Tralleſio* i) licet ex theoria ſolum, neque noſtro in caſu."

Videtur igitur hæc reſina ex plurium autorum conſenſu cardiaca magis & antimaligna eſſe, quam ſpecifice antivarioloſa; quicquid tamen ſit, ut ad propoſitum meum redeam, aëris puri extra ædes, omniumque refrigerantium largiſſimum uſum cum optimis inoculatoribus præcipit vir cel. Inciſionem adornat binam aut plures ſub epidermide ſuperficiariam, lanceola utens materia recenti imprægnata, quod ſi tamen hac potiri haud datur, fila in uſum trahit varioloſa aut materiam ſiccam. Vix credibile, quantum hac in re a ſe invicem recedant inoculatores, neque magis capio, cur de hac operationis parte, quæ minimi certe momenti, magis diſputaverint, quam de ulla fere alia k).

De

i) Graviſſimis his celeberrimorum virorum teſtimoniis addatur illud cl. HIRZEL, Medici Tigurini, qui in confluentibus puero annum nato camphoræ fruſtum ad præcordia ſuſpendi feliciter juſſit. Vid. Abhandlung der nturforſchenden Geſellſchaft in Zürch. Vol. I. P. V. No. III. p. 197.

k) Diverſiſſimas, quæ extant, inoculationis methodos in oſtentationem ſubinde magis, quam in verum generis humani emolumentum tendere, nullus certe bonorum negabit.

De inoculationis prærogativis vix habeo, quid proferam. Videtur enim hæc operatio de omnibus ſuis detractoribus nunc triumphum egiſſe, præſertim ex quo medicæ rei detrimento, ill. *de Haen* vivis eripuit acerba mors. Quicquid igitur hucusque in hac materia ſupereſſe videri poſſet, quod haud ſufficienter diſcuſſum ſit, id enodabunt aut *Haeniani* aut *Tiſſotiani* ſectatores. Inter hæc tamen principem locum tenere crediderim eam objectionem, quam ultimo loco b. *de Haen* propoſuit, quam etiam urget cel. *Murray* l), ſcilicet inter inoculationem, quæ ſubjecta ſibi eligit ſana, morbis vero aliis affectos rejicit, & naturalem morbum, qui omnes ſine diſcrimine adoritur, non ſatis juſtam hucusque fuiſſe comparationem m).

III.

Variolæ epidemicæ Vinariæ anno 1788 *a Cel. Huſeland obſervatæ.*

Ab anno 1782 nulla variolarum epidemia obſervabatur; quinto enim, aut ſexto

l) *Bibl. Med. Pr.* Vol. II. Part. I. p. 67. ſqq.

m) Metzger adverſaria. P. II. p. 73.

fere anno variolæ epidemice graſſantur. Anno 1785 morbilli epidemici, quos ſcarlatina excipiebat, anno 1786 & 87 tuſſis convulſiva infantes infeſtabat. Anno 1787 ad finem vergente variolæ ſpuriæ frequentiſſimæ obſervabantur. Anno jam priori *Erfurti*, & ſub initium anni 1788 *Jenæ* graſſabantur variolæ, urbe tamen Vinarienſi hucusque libera, etſi non longe ab utraque urbe ſita ſit, & multum inter has urbes commercium vigeat.

Menſe Aprili e pago *Buttſtadt* uno cum dimidio ſtadio ab urbe noſtra diſſito, ubi variolæ boni moris per aliquot jam menſes graſſabantur, pus varioloſum ad inſerendas in urbe noſtra variolas deſumebatur. Centum circiter infantes menſibus Aprili & Majo variolis inſitis laborabant, neque ullum infortunium accidit. Nullæ his menſibus variolæ naturales. At ſequente menſe Junio, atque atmoſphæra, flante continuo Zephyro vaporibus impraegnata, epidemiæ initium in meridionali urbis parte obſervabatur; nulla hoc menſe funera. Inde novas omni menſe vires morbus varioloſus adquirens menſibus Septembri & Octobri ad ακμην pervenit; nam & facilius communicabatur, atque ſymptomatibus magis periculoſis, & pejoribus

ribus ſequelis ſtipatus erat. Menſibus Novembri & Decembri morbi malignitas ita ſenſim remiſit, ut primis novi anni ſeptimanis omnis fere morbus diſparuerit.

Numerus infantum variolis naturalibus laborantium - - - - - -	650
Numerus mortuorum - - -	50

Primis tribus vitæ menſibus nullus infans a variolis moriebatur.

Anno	primo - - - - - - -	13
—	ſecundo - - - - -	10
—	tertio - - - - - -	7
—	quarto - - - - -	4
—	quinto - - - - -	3
—	ſexto - - - - - -	1
—	ſeptimo - - - - -	2
—	octavo - - - - -	0
—	nono - - - - - -	6
—	decimo - - - - -	2
—	undecimo - - - - -	2
		50

Primis itaque tribus vitæ menſibus, & menſe octavo nullum funus.

Pueri - - - - - - -	18
Puellæ - - - - - - -	32
	50

Menſe

Menſe Julio	- - - - - -	2
— Auguſto	- - - - -	2
— Septembri	- - - -	13
— Octobri	- - - - -	20
— Novembri	- - - -	10
— Decembri	- - - - -	3
		50.

Ut itaque decimus tertius tantum ægrorum moriretur. Cum in epidemia varioloſa anno 1777 numerus mortuorum 136 fuerit; imo anno 1782, etſi illa epidemia minus late diffunderetur, 86 mortui fuerint.

Febris, quæ durante hac varioloſa epidemia ſtationem obtinebat, rheumatico-pituitoſæ indolis erat.

Hyems enim anni 1787—88 tepida humidaque. Morbi tunc birioſo-pituitoſi, miliaria, ſcarlatina, anginæ, hydrops intercus; morbi infantum verminoſi. Circa medium menſis Maji epidemia rheumatico-catarrhalis caput præſertim extulit, quam *influenzam* nominarunt, etſi mitior eſſet illa, quæ anno 1782 latiſſime regnabat, & intra quatuor plerumque dies ſanabatur, ſudoribus & urinis judicata.

At menſe Junio a febre annua bilioſa inchoante magna febris ſtationariæ alteratio.

Sym-

Symptomata catarrhalia vix non diſparuerunt. Febres nunc bilioſæ, pleuritides bilioſæ, ſoporoſa ſymptomata, anginæ, aphtæ, miliaria, exanthemata cutanea infantum, tumores cutis a leviſſimo perfrigerio.

Menſe Julio pejor morborum ſtatus; bilis enim magis extricata, atque acrior facta frequentes choleras & alvi fluxus cum dolore ventris produxit. Idem ferme ſtatus ſequenti menſe obtinuit; humoribus tamen ad caput potius congeſtis, flante ſcilicet Zephyro. Hinc apoplexiæ, nervorum affectiones, cardialgiæ, vertigines, vomitus, ſymptomata hyſterica, & *ſtatus* febrium *nervoſus*.

Menſe Septembri bilis dominium plurimum fractum; ſymptomata catarrhalia iterum frequentiora; paucæ nunc febres, leves diarrhææ, tumores rheumatici, hinc inde ſcarlatina.

Menſe Octobri conſtitutio rheumatica magis magisque diffunditur. Coryzæ, tuſſes vehementes, pleuritides rheumaticæ, podagra, congeſtiones ſanguineæ, hæmorrhoides præſertim, inflammationes oculorum & faucium.

Menſe Novembri, tempeſtate frigida ſiccaque, complicatio febris rheumatico-pitui-

toſæ

toſæ cum febre *annua* inflammatoria. Pectoris inflammationes, pleuritides, eryſipelata, apoplexiæ.

Eadem fere morborum conditio menſe Decembri obſervabatur. Frigus intenſum gravidis præcipue, atque infantibus funeſtum. Illis enim abortus; his vero febres peripneumonicæ, dentitio difficilis, convulſiones, exanthemata urticata & miliaria periculoſa exſtiterunt.

Variolis naturalibus emortuis, ſpuriæ iterum variolæ comparuerunt.

Ad hanc generalem anni conſtitutionem prava accedebat diatheſis infantum, ſyſtematis nempe glandularum infarctus, & vermium in inteſtinis nidulatio. Utrumque vitium a perverſa educationis ratione oritur. Calidum enim regimen, ventriculi pultibus repletio, potus coffée & cereviſiæ abuſus, atque immundities, primo jam vitæ anno ſolidorum tonum relaxant, vires coctrices dejiciunt, glandulasque meſenterii obſtruunt. Vix dentibus neceſſariis inſtructi infantes cibo omnis generis utuntur, parentum more, atque farinaceis præſertim, & ſolano tuberoſo (Erdäpfel) infarciuntur. Hinc dentitio difficilis, convulſiones, catarrhi ſuffocativi, diatheſis ſcrophuloſa, ventris intumeſcentia, atrophia, tumores glan-

glandularum, rachitis, tumores juncturarum, exanthemata cutanea varia, pituita primarum viarum & vermes, frequentiores apud nos infantum morbi ſunt. Vermes præcipue ab anno 1784 & 85, cum humida tempeſtas regnaret, frequentiſſime obſervabantur; aëris enim humiditas ſolida relaxabat, & prava hinc frumenti indoles panem difficillime digerendum largiebatur.

Deſcripta hucusque generali anni conſtitutione, & prava corporum infantilium conditione, ipſum nunc varioloſi morbi decurſum, benignitatem aut malignitatem, medendique methodum videamus.

Benigniſſima erat variolarum indoles tum inchoante, tum fatiſcente epidemia. At menſibus Auguſto, Septembri, Octobri ita ſenſim degenerabat morbus, ut tum anomala tum ſumme periculoſa ſymptomata variolarum malignarum epidemiam conſtituerent. Talis autem erat decurſus:

Prodromi vix per unum alterumve diem præceſſerant. Ingens dedolatio, vomituritio, ſubinde vomitus, affectiones catarrhoſæ, dolores capitis & lumborum, horrores vagi ſuſcepti veneni ſuſpicionem movebant.

Secundo aut tertio die, veſpera plerumque, ægri ſubito valido frigore, calore ſub-

ſeque

ſequo corripiuntur. Tenelli infantes eclampſia, ſubinde epilepſia, magis adulti delirio furioſo, & vehementibus pavoribus afficiebantur. Subita variolarum eruptio, confertim, tumultuarie. Cutis hinc inde rubore ſcarlatino tincta.

Febris, etſi eruptio uno impetu facta, nulla remiſſio. Delirium, inquies, dolores capitis & lumborum perſtabant, novis vix non quotidie puſtulis ſubortis ad quartum usque diem. Plerumque diarrhœa, & non raro vomitus. Multos terebrans, atque moleſtiſſimus lumborum dolor vexabat. Urinæ aquoſæ, pallidæ.

Tertio ab eruptione die maculæ latiores evadebant, ſenſim in puſtulas aſſurgebant cœruleſcentes, foveolam in medio, aut maculam cineream gerentes, limbo autem pallido, & ſubinde livido-rubeſcente cinctas. Ingens mox ab initio puſtularum pruritus. Pulſus celer, æſtus ſitisque, horrores vagi, reſpiratio inæqualis, anxia, frequens, diarrhæa, urinæ pallidæ. Multi ægrorum ſudores largos, viſcidosque habebant. Narium nunc obſtructio, lingua pellicula alba obducta, oculorum rubor & lachrymarum ſtillicidium. Membrana pituitaria interna multis puſtulis obſeſſa; raucedo per

vices

vices. Tuſſicula frequens, ſternutatio. Eadem variolarum conditio die quarta & quinta perſtabat. Puſtulæ in facie ſenſim confluebant, epidermis vel a leviſſimo affrictu abſcedebat, pruritus moleſtiſſimus. Facies pallida, modice intumeſcens, palpebris tantum tumidis, clauſisque, atque id in quibusdam per vices tantum. Diarrhæa nunc copioſior, etiam ſubcruenta. Urina pallida, aquoſa, teneſmus ad matulam. Ardor faucium, deglutitio difficilis; vox rauca; lingua & oris interna ſuperficies viſcidis, & pituitoſis ſordibus obducta. Motus artuum convulſivi, tremor totius corporis, inter magnos nonnunquam clamores. Febris intenſior, omni mane & veſperi exacerbata.

Sexto aut ſeptimo die puſtulæ faciei in quibusdam flaveſcebant, quin tamen magis elevatæ aut pleniores evaderent. Initium erat exſiccationis; levis enim faciei tumor mox ſubſidebat, facie pallida, puſtulis cretæ inſtar albeſcentibus, atque cruſtis hinc inde tectis. Subinde intra duodecim horas hæc cutis mortificatio per omnem oris ſuperficiem diffundebatur. Neque manuum, neque puſtularum ibi tumor obſervabatur; puſtulæ enim intropreſſæ, vacuæ, maculis

nigris notatæ — certiſſimum funeſti eventus ſignum.

Validiſſimum frigus, quod nunc ægrum prehenderat, ſignum erat, venenum varioloſum novo impetu ad nervos decubuiſſe. Hinc ſtridor dentium, epilepſia, oculi distorti, anxietas ingens, ſitis inexſtinguibilis, reſpiratio laborioſa, parva; tuſſis vel a guttula potus exacerbata, raucedo, aphonia; aphtæ faucium, ſingultus, mictio inter vehementiſſimos dolores, diarrhæa colliquativa, putridiſſima; calor pungens manuum, pulſus celerrimus.

Poſtquam ægri in hoc miſerrimo ſtatu unum alterumve diem vitam tranſigerant, urentes artus ſenſim frigeſcere incipiebant. Anxietas & jactitatio aſſiduo aucta. Reſpiratio modo celer, modo tarda, modo omnino quieta, mox autem epileptica artuum concuſſione reſuſcitata. Pulſus continuo celerior, in artubus parvus & tremulus, carotidum autem pulſus plenus & vibrans. Tota corporis ſuperficies una quaſi cruſta erat obducta. Interim plena mentis libertas. Deglutitio ſenſim difficilior, tandem omnino impoſſibilis; omne enim liquidum, mox ubi laryngem attigerat, vehementiſſima atque convulſiva tuſſi rejiciebatur. Symptoma hoc hydro-

hydrophobia ſpontanea potius, quam angina eſſe videbatur. Motus epileptici frequentiores, vehementiores, animi deliquia, paralyſes partiales, & mors die ſeptima, octava, aut nona ab eruptione die.

Ægri, in quibus ſexta aut ſeptima die deſcripta hucusque ſymptomata apparuerunt, raro mortem evaſerunt. Aut ſi hæc fortuna illis contigerit, id artis actuoſiſſimæ opus erat; & materia varioloſa a partibus internis non absque plurimo labore ad ſuperficiem corporis poterat expelli. At ſumma tunc erat corporis emaciatio, ſumma humorum & virium penuria, atque omnis ferme cutanea excretio deleta, cute ſcilicet per univerſam corporis ſuperficiem deſtructa. Hinc ægri ſero admodum convaluerunt, & ſubinde corpus nunquam priſtinam integritatem recuperabat. Convaleſcentes enim per plures ſeptimanas viribus exhauſti febre hectica, diarrhæa colliquativa, ſudoribus colliquativis laborabant, & nonnulli poſt aliquot menſes tabe, aut latente puris in viſceribus collectione moriebantur.

Raro diarrhæam aut urinam criticam obſervavit auctor, neque unquam ptyalismum criticum.

Ægri, qui in tanta morbi malignitate nullis remediis poterant ſervari, die 14—21 ab eruptione puſtularum die, imo ſerius, aut putridiſſima febre, aut puris ad viſcera depoſitione peribant.

Cum varius eſſet morbi ſtatus, varia ægrorum conditio, complicatum etiam medendi genus oriebatur; atque methodo roborante, evacuante, antiſeptica, narcotica in eodem ægro opus erat, quas tamen diverſas methodos ad unam eamque ſummam indicationem oportebat dirigere, ad perfectam ſcilicet veneni varioloſi e ſanguine ſeparationem, & maturationem.

In ſtadio itaque *eruptionis* ſtimulus quicunque gaſtricus, vermes, colluvies pituitoſa, amovendus erat. Hinc primarum viarum evacuatio, potus copioſus, diluens, demulcens, ut omnia colatoria aperta ſervarentur, leniora alterantia ſtimulo varioloſo oppoſita, & ſpasmorum ſolutio.

Tartarus emeticus mox in principio febris varioloſæ exhibitus egregios effectus præſtitit; febre autem ſequentibus diebus aucta, maculis varioloſis plurimis, iisque deformibus apparentibus, cum vehementi capitis & lumborum dolore, & lingua ſordida, pilulas mercuriales, & purgans man-

natum

natum optimo cum ſucceſſu exhibebantur. Purgantia ſalina ob irritabilitatem inteſtinorum, & ægrorum in diarrhæas colliquativas propenſionem non conveniebant. Si bilis prædominaretur, decoctum tamarindorum, & calomel refracta doſi; quod ſi autem tenax pituita primas vias obſideret, tartarus tartariſatus & ſal ammoniacum parca doſi exhibebantur. Evacuationes ſanguinis epidemiæ hujus indoli adverſabantur.

Lentam variolarum eruptionem, dum modo morbi benigni ſignum eſſet, nullis ſtimulis incitabat. Quodſi autem lenta puſtularum eruptio periculoſis ſymptomatibus nervoſis ſtipata eſſet, quod vel a corroſiva materiæ varioloſæ indole, vel a vermibus, aut dentitione pendebat, remedio utebatur, quod *Plencitzius* in ſcarlatina utiliſſimum expertus eſt, floribus nempe zinci.

Hæ autem erant inſignes dotes hujus remedii: 1) Flores zinci inſipidum ſiſtunt medicamentum, quod in lacte, infuſo theeiformi aut cum ſaccharo tritum libenter ab infantibus ſumitur. 2) Indoles morbi nervoſa, quæ in primo ſtadio præcipue antiſpasmodica remedia indicabat, ut nempe ſtimuli incarcerati liberentur, & e corpore expellantur. Hinc flores zinci indicatiſſimum

remedium erant, quod vi ſpasmos ſolvente gaudet, quin tamen ſanguinis turgeſcentiam ullo modo augeat. 3) Flores zinci id habent ſibi peculiare, ut ſpasmos præcipue cutaneos ſolvant, & acrimoniam partibus internis incumbentem ad corporis ſuperficiem determinent. 4) Cum vermes plerumque adeſſent, & præcipua ſpasmorum cauſa exiſterent, flores zinci, qui vim quoque anthelminticam poſſident, ſtimulum hunc morboſum auferebant. 5) Flores zinci evacuationem alvinam, ut alia remedia nervina ſolent, non cohibent, ſed potius augent, ita, ut majoribus doſibus exhibiti, pro varia corporum conſtitutione, vomitum aut alvum moveant.

Doſis erat plerumque ab anno primo ad tertium, omni bihorio grana duo; ad annum ſextum grana tria; & a ſexto ad decimum grana quatuor.

In ſtadio ſuppurationis methodo nervos roborante potiſſimum opus erat. Omnia eqnidem colatoria aperta ſervanda erant, ſed a ſtimulis validioribus abſtinere debebat medicus, ne humores a peripheria corporis ad partes intraneas repellerentur. Hinc remedia calefacientia, volatilia, antiſpasmodica,

quæ

quæ vires vitæ incitarent, & criſin variolarum propriam perficerent, indicabantur.

Inſignes effectus præſtabat continuatus uſus florum zinci, quos plerumque corticis peruviani decocto junxerat, ut & robur adderet nervis, & putredini reſiſteret. Jubebat auctor ſimul tamarindos una decoqui, ut alvus aperta ſervaretur.

Subinde camphora in enemate applicata ſpasmos ſolvebat. Infantibus ſcrophulis laborantibus unum aut duo grana calomelis optimo cum effectu reliquis medicamentis addebatur. Quodſi neque his remediis liber ſalivæ fluxus efficeretur, deglutitio difficilis, pectoris oppreſſio urgerent, enemata frequentiora, veſicantia brachiis applicata, oxymel ſquilliticum, ſpiritus Mindereri, infuſum arnicæ inſignem opem tulerunt. Quamprimum autem facies detumeſcebat, & puſtulæ exſiccari incipiebant, mox panni lanei lacte calido madefacti, aut, quod efficacius medebatur, cataplasma e radicibus dauci, quibus pulvis ſinapi erat commixtum, adplicabatur; hoc enim remedium congeſtionem lymphaticam a pectore ad artus determinabat, & puſtulas hucusque pure vacuas replebat.

Sæpe autem tanta erat morbi malignitas, ut ad hæc omnia remedia eſſet rebellis, atque miſeri ægri eo jam reducti, ut ſola *indicatio vitalis* ſupereſſet. In hoc rerum ſtatu omnis ſalus ab *opio*; nulla enim dantur remedia, monente *Huxhamo*, quæ tam efficaciter humores acres inſpiſſent, eorum irritationem & defluxum avertant, & puſtulas maturent, quam opiata convenienti ratione data. Laudanum liquidum *Sydenhami* præſcribere ſolebat auctor, ita, ut infantibus annorum 1—5 omni trihorio granum unum laudani cum duobus granis florum zinci & ſaccharo tritum exhiberetur; atque etiam clyſteribus ex decocto corticis peruviani paratis granum unum laudani liquidi addebatur; reliquis tamen remediis, quæ colatoria aperta ſervarent, non neglectis.

In ſtadio *exſiccationis* remedia equidem roborantia & nervina continuabantur, ſed omnis medici opera eo debebat dirigi, ut materiam acrem per alvum ſubduceret, totumque corpus novis, iisque blandis humoribus repleret. Purgans ex foliis ſennæ, tamarindis & manna ab auctore optimo cum ſucceſſu præſcribebatur. Univerſim fauſtus, aut infauſtus hujus ſtadii decurſus a metho-

do

do potiſſimum medendi pendebat, quæ in prioribus ſtadiis fuerat adhibita.

IV.

Hiſtoriæ peculiares febris ſcarlatinæ a Plencitzio deſcriptæ.

I. Puer hujatis civis filius, nonum circiter agens annum, 1753 primis diebus Aprilis videbatur aliquantum languere, neque ſolita aviditate cibos expoſcere, & edere.

Interim tamen noctu ſat placide dormiebat, interdiu circumambulabat, cum aliis ſibi paribus ludebat quidem, ſed non ea, ut ſolebat, facilitate & alacritate.

Die circiter tertia maculæ rubræ in facie apparebant; verum quia puerulus de ſpeciali aliquo incommodo non conquerebatur, parentes flocci faciebant hæc exanthemata, credentes talia brevi diſſipatum iri.

Die vero inſequente, ſeu die circiter quarta morbi, eadem non tantum in facie, & collo frequentiora, ſed & per reliquam corporis ſuperficiem jam diſperſa erant. Unde ego advocatus, poſtquam omnia rite explorarem, renunciavi, hanc eſſe ſcarlatinam benignam; nam pulſus videbatur eſſe natu-

rali ſimilis, æger poſt eruptionem exanthematum magis appetebat, placidius dormiebat, magisque hilaris videbatur.

Die ab eruptione tertia, & a morbo, quinta, mane dum ægrum inviſerem, vidi faciem reliquumque corpus intenſe rubere, palpebras, angulosque paululum tumere.

Die morbi ſexta maculæ in facie palleſcebant, & tandem die ſeptima fere omnes evanuerant; ſicque morbus terminabatur ſine omni deſquamatione, & ſine omni moleſto ſymptomate; neque tardius aliquod malum conſectarium obſervaveram.

Æger toto morbi tempore non utebatur alio remedio, quam infuſo ex ſcabioſa, cui addebatur aliqua portio lactis vaccini, & debita quantitas ſacchari.

Præterea, cum tempeſtas frigida, & humida eo tempore urgeret, curavi, ut non tantum tempore exanthematum, ſed etiam aliquot diebus tardius in lecto ſedens, aut cubans, ſtragulis, quibus ſanus aſſuetus erat, coopertus, conſervaretur æger.

Hujuscemodi caſus quam plurimos habui, a quorum recenſione abſtineo, cum hicce ſervire poſſit pro omnibus aliis; in quibus fere eadem ratio medendi ſemper fuit.

Hic

Hic caſus explanat, & demonſtrat communem, & ordinarium ſcarlatinæ benignæ decurſum progreſſumque.

Interim ex hoc caſu poſſunt duo, quæ forſan non omnibus arridebunt, corollaria deduci; & quidem

Primum, quod non ſemper, ut alii ſcribunt, ſcarlatina, ſicut morbilli, cum deſquamatione, terminetur. Ex quo alterum fundamentum contra clar. *Mortonium* ſcarlatinam a morbillis diſtinguendi deſumi poteſt.

Secundum, quod quandoque, quamvis raro, eruptio exanthematum critica dici poſſit; hoc enim de ſcarlatina benigna, & quidem illa, intelligendum eſſe judico, quæ a motibus lentis, naturæ conformibus, non violentis, dependet; quia hoc modo illud, quod heterogeneum in corpore latet, facilius, aptiusque ſubigitur, ſeparatur, & ad convenientia emunctoria deducitur; quod a motibus violentis, quacunque ex cauſa in corpore noſtro excitatis, ſperandum non eſt; quin imo, ut ex obſervatione *Sydenhami* dixi, morbus de natura ſua benignus hac ratione malignus evadit.

II. Infans quinque fere annos natus belle edens & dormiens, mane dum evigilaret, tota vix non facie rubebat; parentes exinde atto-

attoniti me advocarunt, & quid iſthæc efflo- reſcentia ſignificaret, ex me poſtularant.

Ego inveni pulſum bonum, infantem hilarem, uti & alia, ſtatum ſanum referentia. Ad tactum tamen cutis, præſertim in facie, calebat, & videbatur ardor quidam externus ægro moleſtus eſſe.

Unde ſine hæſitatione declaravi, hæc exanthemata referenda eſſe ad ſcarlatinam benignam.

Eventus dein reſpondit promiſſis; nam morbi hujus ſequens erat decurſus:

Die ſequente, ſeu ſecunda ſcarlatinæ rubebat intenſe non tantum facies, collum, ſed & aliæ corporis partes; facies ſubtumida apparebat; æger de quodam, ſed præcipue oculorum ardore, conquerebatur, neque lucem ſine incommodo ferre poterat. Cætera ſomnus, & appetitus aderant.

Die tertia videbantur omnia eſſe vix non in eodem ſtatu, ut die præcedente; niſi quod ad finem vergente eadem die exanthemata in facie, quæ prius intenſe rubebant, pallidiora apparerent.

Die quarta palleſcebant quoque alia, reliquum corpus occupantia exanthemata.

Die quinta in facie vix quidquam ſcarlatinæ apparebat.

Die

Die ſexta, & ſeptima totum corpus erat ab exanthematibus liberum, quibus ſucceſſit deſquamatio illi, quæ in morbillis eſſe ſolet, ſimilis. Hoc tempore videbatur æger pariter quoad omnes functiones, tam animales, quam vitales, & naturales bene valere, in quo ſtatu etiam in poſterum permanſerat.

Toto morbi tempore non utebatur alio remedio, quam ſequente mixtura:

R. Aquæ ſambuci unc. V.
Roob ſambuci.
Syrupi de althæa aa unc. I.

miſc. de qua omni hora, aut omni bihorio, unum alterumve cochlear ſumſerat; & infuſum ex ſcabioſa ſuperbiberat.

Præterea æger in debita tranſpiratione, & moderato calore conſervabatur, & detinebatur.

Hoc ſingulare hicce caſus docet, quod una cum morbo, & ſine præcedente aliqua ſenſibili exacerbatione exanthemata ſcarlatina in conſpectum venerint; quod aliquoties, quamvis raro, in ſcarlatina vidi.

Verum nemo mirabitur, qui experientia noverit, quod idem etiam in variolis evenire quandoque ſoleat. Plura vide Sect. IV. §. XXXVI., ubi leges illam particularem obſervationem, qua plures cætera ſaniſſimi

quaſi

quaſi momentanee obruebantur exanthematibus ſcarlatinis, aut ſaltem ſcarlatinam referentibus.

Item ex hoc, & præcedente caſu eruere poſſumus, quod exanthemata ſcarlatina quædam citius, alia tardius diſſipari, & evaneſcere ſoleant; nam quædam citiſſime, nimirum tertia ab eruptione die, utplurimum vero quarta, quinta, aut ſexta, raro tardius, diſſipantur.

V.

Deſcriptio anginæ cum ſcarlatina Havniæ annis 1777—78 epidemicæ. Auctore Celeb. Bang.

Ineunte autumno anni 1777, poſtquam vere & æſtate elapſis ſub ingrata utplurimum, nimboſa & frigida tempeſtate numeroſæ intermittentes, imprimis tertianæ, enormiter, ſine dubio ob viciſſitudines aëris ad recidivam inclinantes ſæviiſſent, noſter morbus caput attollere incepit, atque a provinciis vicinis, quas proxime prægreſſis annis pervaſtaverat, ad Seelandiam & Havniam propagari; verſus finem julii in paucis ſe oſtendit, inſequenti vero tempore plures in dies

dies ſdorta fuit, atque omnes hyemi menſes æquali vi percurrebat, usque ad martium & aprilem, quibus ſenſim rareſcebat & diſparebat. Progreſſus morbi in ægrotis noſocomii *Fridericiani* talis fuit, ut ſub finem julii primus & unicus hoc morbo decumberet, auguſto novem, ſeptembri decem, octobri viginti, novembri viginti unus, decembri viginti, januario 1778 viginti duo, februario viginti quatuor, martio ſeptem, aprili tres.

Subjecta, quæ potiſſimum invaſit morbus, erant perſonæ ob ætatem, ſexum & temperamentum tenerioris texturæ. Infantes, pueri, & juvenes ad trigeſimum circiter annum æque facile in hunc morbum incidebant, hac ætate majores rariſſime illo correpti ſunt; ſexui ſequiori itidem familiarior erat quam potiori, adeo, ut ex numero ægrotantium ſupra allato octoginta ſex feminæ & tantum quinquaginta unus mares fuerint.

Contagii vis inſignis videbatur, raro ulli perſonæ idoneæ in familia, quam aggrediebatur, parcens; hujus argumentum mea propria domus dedit, ubi liberi, ancilla, uxor, ego ipſe hoc morbo ægrotavimus; quid, quod agnata, quæ ex provin-

cia

cia apud nos per aliquot dies commorata fuerat, & in cubili cum ægrotis dormiverat, domum reverſa ſecum portavit morbum, qui mox omnes liberos ex ſex tantum unico excepto invaſit, eorumque puellam maximam natu ob defectum debiti auxilii morti tradidit, dein duæ aliæ familiæ ad funeralia demortuæ celebranda profectæ, ſecum etiam domum duxerunt morbum. Neminem plus ſimplici vice hoc morbo decumbentem novi.

Gravitas & periculum morbi in univerſum valde differebat, nonnulli extra lectum ſe continere potuerunt, plurimi tamen decumbere coacti fuerunt, eorumque alii levius, alii graviſſime ad mortem usque ægrotarunt; totus numerus ex hoc morbo Havniæ demortuorum ducentas perſonas continet; ex centum triginta ſeptem, qui noſocomio *Fridericiano* decubuerunt, quinque peribant, & ex quadraginta, quos extra noſocomium procuravi, perdidi unicum infantem bimulum.

Alii vulgares morbi primo, quo epidemia anginoſa regnavit, tempore haud obſervati ſunt, media autem hyeme & appropeтante vere febres rheumaticæ & inflammatoriæ pectoris multos invaſerunt; putridæ vero febres longe rariores ſolito occurrebant.

Sym-

Symptomata noſtri morbi ad duo ſtadia reduci debent, ſtadium primum ſ. febrile in omnibus non omnino ſimile fuit, in plurimis ſimplex, in paucis cum aliis morbis complicatum.

Ordinariam hujus ſtadii formam conſtituebant ſequentia. Horror initio quandoque ſæpius recurrens cum æſtu alternans, interdum vix ſenſibilis.

Languor minor vel major pro gradu febris.

Æſtus imprimis veſperi ingraveſcens, communiter mordax tangentes digitos quaſi urens.

Faucium dolor, rubor, tumor vario gradu, deglutitionem lædens, interdum prorſus impediens, raro reſpirationi obſtans, cum voce ſæpe rauca, interdum craſſa vix intelligibili, quandoque oris aperturam haud permittens; in tonſillis tumidis ſæpius maculæ albæ, quaſi ex illito pure, conſpiciebantur; angina hæc in aliis ſicca erat, in aliis humida cum exſcreatione larga mucoſa in paucis adeo acri, ut attactæ partes circa os & naſum quaſi excoricatæ fuerint; pauciſſimos pueros & infantes vidi, febrem ſcarlatinam paſſos, absque minima affectione faucium.

Pulſus fere ſemper erat ſpecifico & pathognomonico modo celer, adeo ut vix in aliis febribus tam frequens obveniat, utplurimum ſimul fuit tenſus, raro depreſſus.

Sanguis e vena miſſus initio morbi non raro absque cruſta inveniebatur, poſtea ſæpiſſime ſolito floridior, laxior cum cruſta gelatinoſa v. lardacea.

Urina in plurimis ſaturate aurantia, etiam lacteſcens, ſedimentum farinaceum multum deponens, in duobus poſtea parotides paſſis clara ſine hypoſtaſi obſervata fuit.

Cephalalgia in plurimis adfuit gravativa ſæpius cum vertigine, cui in graviter decumbentibus deliratio levis vel ſoporoſitas juncta fuit; facies communiter ſanguine turgeſcebat; hæmorrhagiam narium in pauciſſimis obſervavi cum levamine affectionis faucium. Vomitus incipientis præſertim morbi comes frequens fuit; diarrhæa itidem in nonnullis adfuit innocua quidem, vix tamen levatoria.

Efflorescentia ipſa erat rubra lata, parum ſupra cutem prominens, minus vel magis, præſertim ſub exacerbatione veſpertina evidens, alias conſtans vel inconſtans, mox præſens mox abſens, quod mali ominis erat, interdum adeo occulta, ut non niſi ex inſe-

quente

quente deſquamatione illam adfuiſſe ſciri potuerit; in multis anginoſis, quamvis graviter decumbentibus, ut in me ipſo abſuit; tempus, quo apparuit, communiter erat tertius dies, quandoque tamen primus, ſecundus & quartus. Locus erat vel univerſa corporis ſuperficies, vel certæ ejusdem partes, ut brachia vel collum ſolum; in nonnullis ſimul apparuerunt maculæ albæ milliarium inſtar, vel ſtatim ab initio efflorefcentiæ rubræ junctæ & inſidentes, vel illi diſparenti ſuccedentes. Decrementum febris ex eruptione cutanea haud obſervatum fuit. Finem huic ſtadio impoſuit ſeptimus vel octavus dies, quo febriles ceteræque moleſtiæ ceſſare ſolebant.

Deſquamationis tempus tunc venit, haud tamen ſemper idem: in plurimis ceſſanti febri immediate ſucceſſit; in nonnullis autem plures præteribant dies, antequam apparuerit; vel per integra fruſta abſceſſit epidermis, in nonnullis etiam lingua epithelio ſpoliari videbatur.

Varietates atque ſymptomata peregrinis morbis pertinentia cum noſtro in quibusdam complicata fuerunt.

Pectus ſimul inflammatione affectum indicabant tuſſis, dyſpnœa & dolor fixus, haud

ab initio ſed ſub progreſſu morbi hocce contigit connubium, quandoque ſaucibus reſtitutis ſedem mutare videbatur inflammatio, atque in pulmones transgredi, etiam ſputum puriforme diu poſt finitam febrem protractum ſubinde obſervatum fuit.

Ventriculi ſimilem læſionem vidi in una ægrota, quam quarta morbi die moleſtus vomitus, dolor gravis cardiæ cum pulſu manifeſte inflammatorio aggreſſa ſunt.

Phrenitidis ſpeciem præſeferebat morbus in duobus ægrotis, quibus ſexto die faucibus jam ſanatis ſupervenit delirium cum pulſu forti celeri.

Variolæ in unica puella cum interſperſis petechiis & angina conſpirarunt.

Putrida febris in binis exemplis anginæ annexa obvenit, tunc ſimul aderant debilitas inſignis, ſtupor; oppreſſio cardiæ, ſapor putridus, protractio febris in uno ad decimum quartum, in altera ad decimum ſeptimum diem.

Alterum morbi noſtri ſtadium quatuordecim vel quindecim diebus poſt finitam febrem elapſis incidit, conſiſtens in variis chronicis malis dicto tempore ſurgentibus.

Communiſſima ſequela erat ſtatus corporis leucophlegmaticus, intumeſcentia œde-

mato-

matoſa faciei & crurum, expanſio abdominis, reſpiratio brevis, urina parca ſaturata, quandoque brunei coloris; ſemper ab hoc malo immunes erant, qui ſolam anginoſam febrem ſine deſquamatione paſſi fuerunt, imo etiam plurimi ſcarlatina ipſa correpti, dummodo regulis prophylaticis poſt finitam febrem obſervandis obſecuti fuiſſent.

Parotides in nonnullis circa idem tempus quandoque leucophlegmatica jam fugata intumuerunt, & in paucis ſuppurationem ſubierunt.

Mania furioſa decimo tertio die ab initio morbi puellæ cuidam ſupervenit per aliquot hebdomades durans.

Convulſiones epilepticæ juvenem prægreſſa & jam ſanata intumeſcentia corporis invaſerunt, intra duodecim horas decies recurrentes.

Medicationem variis morbi circumſtantiis & tempori accommodavi.

Antiphlogiſtica methodus communiſſime ſc. contra ordinarium ſtadii febrilis decurſum convenit.

Venæ ſectionis indicans mihi fuit inflammatio in partibus nobilibus vel jam præſens, vel ob ſanguinis congeſtionem timenda; contra anginam gradu notabiliori, ne

in

in gangrænam vel ſaltem ſuppurationem verteretur, inſtituta fuit, imo ter quaterve, donec remiſerit; non raro in vehementiſſimo illius gradu hirudines regioni tonſillarum & circa laryngem appliciti citam opem attulerunt; pectore affecto cum ſignis inflammationis ſanguinis miſſio eadem ratione, ac ſi ſola pneumonia adfuerit, determinanda eſſet. Delirium phreniticum venæ ſectione præſertim, quod per ſe intelligitur, debellandum erat; nec novi aliud ſatis efficax auxilium ad encephalum præcavendum, dum ſanguis rapide huc verſus cum inſigni cephalalgia, rubore & tumeſcentia faciei, intercurrente phantaſia dirigebatur. In multis, ubi levior erat morbus, nec ullum ex inflammatione periculum, vena non tuſa fuit.

Temperantibus remediis alter erat locus; in modico morbo tantum oxymel ſimplex, cujus unciæ drachma nitri appoſita fuit, potui immixtum ſuffecit, in caſu graviori ſimul dedi mixturam nitroſam, cujus unciis octo ſpiritus Mindereri drachmæ ſex additæ fuerunt, ut eo magis vi diapnoica ipſi naturæ niſui conveniat, infantibus, qui difficulter alia remedia admittebant, emulſionem e ſeminibus frigidis & amygdalis paratam exhibui; ſi vomitus ſimul junctus fuerit,

rit, hauſtus ſalinus ex ſucci citri unciis duabus, ſalis plantarum ſcrupulis quatuor, aquæ menthæ unciis quatuor, ſachari uncia dimidia compoſitus, & bihorio ad cochlearia duo propinatus utrique ſcopo antemetico & refrigeranti ſatisfecit. Alvi ſolutionem natura ipſa non peractam, clysmate aut leni eccoprotico promovi.

Revellenti ſcopo ſemper adhibui ſinapismos plantis pedum applicitos, atque in multis veſicatoria nuchæ vel circa collum cnm ſenſibili juvamine anginæ, haud tamen ſemper adeo abſoluto, quin nonnunquam etiam poſt veſicatorii uſum ſanguinem mittere coactus fuerim.

Pro gargariſmo valuit infuſum ſalviæ cum oxymelle nitroſo ſupra allato, raro, imprimis ſi maculæ albæ faucium numeroſæ vel latiores obſervatæ fuerint, potius mel roſatum cum dimidia parte aceti elexi. Peregrini morbi noſtro annexi ſibi propria medicatione tractandi erant; contra peripneumoniam præter venæ ſectiones emulſionem temperantem cum camphora, & veſicatorium dolenti loco adhibui, & ſi febri ſucceſſerit expectoratio purulenta, cortex cum pectoralibus remediis nuptus ſanationem perfecit. Delirium phreniticum repetita venæ

ſectio,

ſectio, hirudines temporum, atque hisce in uno ægrotorum haud prorſus ſufficientibus, veſicatorium dorſo poſt quatriduam durationem fugarunt.

Ex duobus febre putrida cum angina laborantibus, faucium affectus brevi in una veſicatorio colli, in altero ſimul junctis hirudinibus ceſſit; reliquam curam cortex, camphora, acida abſolverunt; eadem auxilia cum ſpiritu vitrioli potui immixta & largiter ingeſta puellam variolis, angina, petechiis decumbentem ſalvarunt.

Prophylaxis ad alterum morbi noſtri ſtadium avertendum finito febrili ſtadio ineunda eſt, & triplici adminiculo conſtat; 1. remedio laxante tertio quovis die ad ſex vel ſeptem vices repetito; aquam laxativam ditioribus, pulverem e radice rhei, jalappæ, ſale medio pauperibus æquali ſucceſſu exhibui. 2. Diebus a purgatione vacuis potiſſimum mixtura diuretica e ſpiritus ſalis dulcis & mixturæ reſolventis anaticis partibus ad guttas ſexaginta ter per diem in uſu fuit. 3. Abſtinentia ab aëre libero & tractu aëris per rimas anguſtas ad tres hebdomades poſt finitam febrem obſervanda. Hujus regulæ transgreſſio præ ceteris intumeſcentiæ periculo ægrotum expoſuit.

In

In ſtadio ſecundo leucophlegmatia oborta diureticis fuganda erat; plurimis ſuffecit infuſum e baccis juniperi tuſis, & mixtura e tincturæ rhei aquoſæ & ſpiritus ſalis dulcis æquis partibus ad guttas ſexaginta ter per diem; raro alia diuretica, cremorem tartari, pillulas ſcilliticas etiam cum ſucceſſu propinavi; ſi nihilominus morbus prolongari vel increſcere videretur, ægros juſſi lecto teneri, cujus calor diureſin & diaphoreſin promovendo certam opem attulerunt.

Parotides linimento volatili ſæpius inunctæ, & quod communiter accidit, diſſipatæ fuerunt, quandoque ad ſuppurationem vergentes cataplasmatis emollientis uſu maturatæ fuerunt.

Convulſum juvenem venæ ſectione duplici, liquore nervino ad guttas triginta bihorio, clyſmate, veſicatorio nuchæ, pannis vino calido imbutis & cardiæ applicitis & altero die porrecto laxante curavi.

Puella maniaca venæ ſectione, hirudinibus temporum purgantibus jalappinis, veſicatoriis dorſo & extremitatibus, & omnibus his ſæpius repetitis tractata & menſis ſpatio ſanata fuit.

SYNOPSIS.

Febris continua remittens.

Fallaciæ febrium continuarum.
Febris continuæ remittentis elementa
febris continua
febris intermittens.
Febris continuæ bilioſæ cum intermittente connubium.
Deſcriptio febris continuæ remittentis bilioſæ.
Methodus medendi f. cont. rem.

Febris ardens.

Febris ardens compoſita eſt ex febre continua inflammatorio-bilioſa, & febre intermittente.
Triplex febrium ardentium ſpecies:
hemitritæa *Celſi*,
hemitritæa *Galeni*,
hemitritæa ex febre acuta continua & tertiana.

Sym-

Symptomata potiora febris ardentis.
Criſis febrium ardentium
haemorrhagia
vomitu
urina
ſputis.
Prognoſis.
Methodus medendi.

Febris putrida.

Auctorum variae opiniones de natura & cauſis febris putridae.
Symptomata febris putridae.
Vera notio directrix febris putridae.
Cauſae febrium putridarum.
Diviſio febris putridae.
Praecipuae febrium putridarum ſpecies.
Febris putrida ſaburralis
putrida bilioſa.
putrida verminoſa.
Febris bilioſa methodo calefaciente in putridam converſa.
Febris bilioſa methodo antiphlogiſtica in putridam converſa.
Febris bilioſa nimio purgantium uſu in p. converſa.

Febris bilioſa nimio emeticorum uſu in p. converſa.
Febris inflammatoria in p. degenerans.
Febris putrida ex degeneratione humorum incognita.

Exitus febrium putridarum
- in ſanitatem
  - alvi fluxu
  - ſudore
  - miliariis
  - aphtis
  - ſalivatione
  - urina
- in alios morbos
  - metaſtaſes variæ
- in mortem
  - Gangræna
    - univerſali
    - partiali
      - meteorismus: ſpecies variæ
        - flatulentus
        - ſaburralis
        - inflammatorius
        - gangrænoſus
        - veſicæ urinariæ
  - inflammatione latente
  - depoſitionibus ſeroſis.

Me-

Methodus medendi in genere.
Emeticorum & purgantium uſus.
Remedia antiſeptica.
Cortex peruvianus
flores arnicæ
veſicantia
effectus ſalutares cantharidum
duplex ægri facta metaſtaſi ſtatus
varius ægri exanthemate retropreſſo ſtatus
vis noxia cantharidum
radix arnicæ
camphora
vinum
rad. angel. ſerpent. virgin. contrayerv.
acida min. dulcif.
acida mineralia
actu frigida
alumen.
Diæta in febr. putr.
Prognoſis febrium putridarum
parotides
varius parotidis exitus
reſolutio
ptyaliſmo
diarrhæa

uri-

urinis
ſudore
ſuppuratio
ulcus fiſtuloſum
gangræna
ſcirrhus
retroceſſio parotidum
prognoſis
cura.
Reliquiæ febrium putridarum
Prophylaxis febrium putridarum.
Corollaria practica.
Febres putridæ a *Stollio* Viennæ obſervatæ & deſcriptæ
anno 1777
anno 1778
anno 1779
anno 1780
anno 1781.

Febres intercurrentes

Variolæ.

Proprietates generales morbi varioloſi.
Stadia morbi varioloſi
ſtadium contagii
ſtadium ebullitionis

metho-

methodus medendi in hoc ſtadio
methodus ſpecifica
methodus indirecta
ſtadium eruptionis
ſtadium maturationis
cauſæ febris ſecundariæ
variæ puſtularum diviſiones
methodus medendi in hoc morbi ſtadio
ſtadium ſuppurationis
methodus medendi
uſus purgationum
uſus acidorum mineralium
uſus opii
uſus cantharidum.
Symptomata variolarum.
Variolæ malignæ.
Inſitio variolarum.
Morbi variolarum poſthumi.

Morbilli.

Stadia morbillorum.
Prognoſis.
Methodus medendi.
Inſitio morbillorum.

Symptomata febris ſcarlatinæ.
Prognoſis.
Methodus medendi.

Animadverſiones in morbos intercurrentes.

Epidemia varioloſa & ſcarlatina Comitatus Teklenburgenſis a *Finckio* deſcripta, anno 1772.
De variolis epidemicia in Comitatu Steinfurtenſi ann. 1773 — 75. Auct. cel. *Metzger Adverſar.*
Variolæ epidemicæ Vinariæ anno 1778 a cel. *Hufeland* obſervatæ.
Hiſtoriæ febris ſcarlatinæ *Plencitzii* de ſcarlatina.
Cel. *Bang.* deſcriptio anginæ cum ſcarlatina *Havniæ* annis 1777 — 78 epidemicæ. Act. Societ. med. Havn. Vol. II.